
Crescat Scientia
Vita Excolatur

SPICILEGIUM MONTOLIVETENSE
EDITUM
A MONACHIS CONGREGATIONIS OLIVETANAE O. S. B.

Rome 3/

Index 7


ANTONII BARGENSIS

CHRONICON MONTIS OLIVETI

(1313-1450)

EDIDIT

PLACIDUS M. LUGANO



FLORENTIAE
EX OFFICINA TYPOGRAPHICA COCCHI & CHITI
MCMI

APUD EDITORES, IN ABBATIA SEPTIMNIANENSI
PROPE FLORENTIAM.

SPICILEGIUM MONTOLIVETENSE

VOLUMEN PRIMUM

SPICILEGIUM MONTOLIVETENSE

EDITUM

A MONACHIS CONGREGATIONIS OLIVETANAE O. S. B.

Antonio da Barga, d. 1452


ANTONII BARGENSIS

CHRONICON MONTIS OLIVETI

(1313-1450)

EDIDIT

PLACIDUS M. LUGANO



FLORENTIAE

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA COCCHI & CHITI

MCMI

—

APUD EDITORES, IN ABBATIA SEPTIMNIANENSI

PROPE FLORENTIAM.

VIRO · EMINENTISSIMO

LUCIDO · M · CARD · PAROCCHI

S · R · E · VICE · CANCELLARIO

CARDINALIUM · CONVENTUS · A · STUDIIS · HISTORICIS · EXCOLENDIS

PRAESIDI

BENEDICTINAE · CONGREGATIONIS · OLIVETENSIS

APUD · SANCTAM · SEDEM

PROTECTORI


LIBENS · MERITO · DEDICAT

PATRI · BENEMERENTI

EDITORUM · COETUS

PRAEFATIO

IN SPICILEGIUM MONTOLIVETENSE



PRAEFATIO

IN SPICILEGIUM MONTOLIVETENSE

Profert de thesauro suo
Nova et Vetera.
(MATTH., XIII, 52).

Quae, hoc volumine, aliisque, brevi interiecto tempore, sequentibus, sub « Spicilegii Montolivetensis » titulo, monumenta edere modo incipimus, ad historiam et jus Congregationis Monachorum Montis Oliveti rite describendum, pertinere noscuntur. Ea quippe mens est in hisce typis evulgandis, ut tum generalis historia ordinis, tum singulorum monasteriorum notitia potissime augeatur, emolumentumque recipiat non spernendum. Ad quod obtinendum, ea omnia quae splendidiorem in rebus, factis, virisque ingenio virtuteque clarioribus lucem immittere possunt, conferre videntur. Quod sane magni momenti faciendum est.

Qua autem ratione nunc ad haec manum mentemque admovisse videmur, satis superque cordato viro patet. Nam et haec est nostrae aetatis evidentissima indoles, ut omnia et singula, digna indignaque, clara et obscura, perlustrentur, investigentur, studioque veritatis in propatulo a quovis afferantur. Quod quidem et ipse Sum-

mus Pontifex Leo XIII clare intuens, vaticana tabularia viris eruditis libenti animo aperuit (1). Quo facto, historia tum sacra, tum profana maximum undecumque recepit emolumentum.

Alia insuper adest et peculiaris ratio. Nam historia hujus Benedictinae Congregationis magna ex parte enucleanda adhuc remanet. Unus enim Lancellottus, vir sane multarum litterarum ac multiformis eruditionis, aliquid tanto muneri dignum, studiose, anno MDLXXIII typis evulgavit (2). Ab initio huius monasticae Congre-

---

(1) Cf. Summi Pontificis epistolam « Saepenumero considerantes » ad Card. De Luca, Pitra, Hergenroether, datam die 18 Aug. 1883. SS. D. N. Leonis PP. XIII, *Allocutiones, Epistolae, Constitutiones, aliaque acta praecipua*, Desclée, 1887, v. II, p. 20-29.

(2) *Historiae Olivetanae auctore* D. Secundo Lancellotto, *Perusino abbate olivetano, Libri Duo*, Ex Typogr. Gueriliana, 1623, Venetiis.

Ipse abbas Lancellottus, utpote magna praeditus feracitate ingenii, sequentia typis mandavit:

Il vestir bianco di diverse Religioni, Perusiae, 1618, apud Bartholum, in-4; *item*, latine.

Historiae Olivetanae, Venetiis, 1623 (vol. 1).

Il Bartimeo cieco di Gerico, Perusiae, per A. Bartholum, 1626, in-4; Venetiis, Guerigli, 1660.

Il Mercurio Olivetano, Perusiae, 1628.

L'Hoggidì overo gli Ingegni moderni non inferiori a' passati, Viterbii, 1630; Venetiis, 1662 (vol. 1).

L'Hoggidì overo il Mondo non peggiore nè più calamitoso del passato, Venetiis, 1632; 1636 (vol. 1).

Carmen elegiacum in obitu Georgii Boreae nobilis Lugensis, Perusiae, 1633.

Farfalloni de gli Antichi Historici, Venetiis, 1636; 1638 (vol. 1).

Chi l'indovina è savio, overo la prudenza humana fallacissima, Venetiis, 1640 (vol. 1).

Insuper in Bibliotheca monasterii Perusini Montis Morcini, alia reliquit opera, eruditione undique referta, nempe:

I sfoghi di mente (vol. 1). — *Prospettiva de' Religiosi* (vol. 1).

gationis nullus, si Michaelem Angelum Bonahvertium (1) excipias, de hac re aliquid praelo mandavit. A tempore autem abbatis D. Secundi Lancellotti ad nostram usque aetatem, multi quidem manum calamo adponere curarunt (2), sed fere nullus eorum, aliquid verae historiae dignum protulit. Hac autem nostra aetate, D. Bernardus M. Maréchaux, vir ingenio potens, eruditione cla-

— *Della ragione di Stato o politica de' Religiosi* (vol. 1). — *La milanteria degli Istorici* (vol. 1). — *L' asilo de' Predicatori* (vol. 1). — *Prediche diverse* (vol. 1). — *Selve di concetti predicabili* (vol. 8). — *Del Grifone, arma di Perugia* (vol. 1). — *Che Traiano imperatore fosse da Todi* (vol. 1). — *La fortuna* (vol. 1). — *La crudeltà* (vol. 1). — *Pianto sopra i suoi Olivetani* (vol. 1). — *Le Pittime de' tribolati* (vol 1). — *Pittime diverse* (vol. 1). — *Diversi discorsi volgari* (vol. 1). — *Note istoriali sopra la maggior parte della Scrittura sacra* (vol. 1). — *Acus nautica, sive expeditissima ad quamcumque de re qualibet orationem, datis e tanta copia scriptoribus, via* (vol. 22).

Quod ultimum opus, fato invidente typis evulgatum non fuit: adservabatur autem in bibliotheca nostra perusina Montis Morcini. Cf. M. Armellini, *Additiones et correctiones Biblioth. Benedictino-Casinensis*, Fulginei, Typ. Campana, 1736, p. 47, 48; Belforti, *Chronologia brevis*, Mediolani, 1720, p. 108-110.

(1) *Il Miracoloso* | *Principio* | *de la Congregatione* | *di S. Maria di Montoliveto* | *Descritto in Dialogo dal* R. P. D. Michelagnolo | [Bon' haverti] *da Ferrara* | *Dove si espongono i Geroglifi Divini, e gli Misterii* | *Sacri d' intorno l' imprese di essa Congregatione*, | in Ferrara, Per Vittorio Baldini, MDCV. — Haec dialogistica opella, primum de historia olivetana typis editum monumentum, LXVII foliis non enumeratis constat. Praecedit quaedam devota praefatio « A gli Novizzi de la Congregatione di Montoliveto, D. Michelagnolo Bonhaverti ». Inter se loquuntur, a principio usque ad finem, pœnitens et monachus.

(2) Inter quos praecipue recensendus est D. Bonaventura Tundi de Eugubio († 1695) qui certe multa scripsit, multa quoque typis edidit, sed non semper reapse historico stylo composuit.

rus, scripsit, nostrisque immo diebus adhuc de historia olivetana summa cum laude scribere conatur; sed quum ipse auctor, in Gallicis degens regionibus, Italiam fere numquam perlustrare possit, eius demum historia monumentorum, in Italicis tabulariis latentium, subsidio careat oportet (1). Quod tamen non iniuriae, sed tanti viri honori dictum velim; qui, veluti ferrea donatus voluntate, ardua quaeque, obedientia fretus, lubenti corde aggredi non formidat.

Nostrum ergo erit, qui inter Ausoniae fines, sedem habemus, omnium civitatum perlustrare tabularia, archiva et bibliothecas, ex quibus, monumenta omnia historiam olivetanam illustrantia, depromenda, et « Spicilegio Montolivetensi » inserenda erunt. Perarduum sane et difficile munus, nostris etiam humeris impar, sed, sodalium benevolentia, virorumque auxilio eruditorum freti, libenter susceptum!

Nunc autem ea ratio operis quae magis et longo itineri reique tamdiu desideratae et ab eruditis viris undique exoptatae, conveniat, statuenda manet. Quod tamen facilius clariusque expondituri existimamus, si quaedam de Congregatione monastica et de loco praecipuo Montis Oliveti praemissa fuerint.



Ex nobili Ptolomaeorum genere ortus, Bernardus Senensis, in saeculo Johannes, cum tribus sodalibus, anno circiter MCCCXIII, monasticam cœpit agere vitam, in

(1) Cf. Maréchaux, hanc historiam sub titulo « Essai d'histoire olivetaine » scribere perseverat in nostra ephemeride *Bulletin de N. D. de la Sainte-Espérance à Mesnil-Saint-Loup (Aube):* cf. XIX année, n. 2, février 1895, seqq.

agro Senensi, in loco qui tunc « Mons Acconae » vocabatur, postea vero « Montis Oliveti Maioris » nomen accepit. Ibi fundamenta jecit novae Congregationis, Ordini Sancti Benedicti addictae, quae demum a Summo Pontifice Clemente VI, anno MCCCXLIV adprobata, statim per omnes Italiae urbes cœnobia posuit (1). Istius autem loci descriptionem, quam Pius II, anno MCDLXII illud invisens cœnobium, nobis reliquit (2), hilari vultu excipias (3).

---

(1) Cf. LANCELLOTTI, *Histor. Olivet.*, I, 4 seqq.; D. GRÉGOIRE M. THOMAS, *L'Abbaye de Mont-Olivet-Majeur*, Sienne, 1898, p. 19 seqq.; D. BERNARD M. MARÉCHAUX, *Vie du Bernard Toloméi*, Paris-Florence, 1888, p. 61 seqq.

(2) PII SECUNDI PONT. MAX. *Commentarii rerum memorabilium*, Francofurti, Officina Aubriana, M. DC. XIV, Lib. X, p. 262, 263.

(3) Cf. LANCELLOTTI, *Histor. Olivet.*, I, 47; G. THOMAS, *op. cit.*, p. 89; REGISTR. OLIVET., II, 40, 42.

De hac Pii II visitatione, in cœnobio Montis Oliveti maioris peracta, haec leguntur in *Chron. Cancell.*: « Hoc fere tempore [nempe sub abbatiatu Nicolai Regiensis (1459-1463)], domnus Pius secundus Pontifex Maximus Montem Oliveti per seipsum visitare, et gloriam pontificatus romani pauperum Christi aspectibus praesentare dignatus est. A quibus usque ad montis introitum et ultra cum ramis olivarum processionaliter obviam sibi procedentibus, et hymnum *Te Deum Laudamus* devota modulatione in iubilo Deo concinentibus, affectuosissime est susceptus. Miratur summus Pontifex; mirantur domni Cardinales et episcopi; mirantur denique omnes Congregationis illius modestiam simul et gravitatem, quod in tam solemni gaudio iocundaque solemnitate mirabili omnium sensuum mortificatione tam honestis praeclarisque cœremoniis et moribus ornati occurrerent, vixque sanctissimus Christi vicarius a lachrimis prae devotione poterat se continere. In ecclesiam itaque primum introducitur, ubi consueta summo Ecclesiae Dei sacerdoti orationum et cœremoniarum solemnitate persoluta, intra pauperem illam domum et humilem monasterii habitationem beatissimus Dei Vicarius ingredi, et in ea quie-

« Ventum est ad monasterium, cui Montis Oliveti nomen indidere, quod non procul ab oppidulo Clausurae (*nunc:* Chiusuri) iacet, cuius caseum inter optimos Tusci ducunt. Situs monasterii in hunc modum se habet. Collis sublimis est, ad occidentem respiciens topho, cretaque compactus, stadio circiter longus, latitudine multo minor. Si formam quaeris, castaneae folium imitatur: undique rupes in barathra pergunt profundissima, in quae horror sit aspicere: qua iungitur reliquae terrae

---

scere non dedignatur. Gaudebant omnes in Domino, et quos tanti hospitis nobilitabat praesentia, spirituali exultatione laetabantur. Non autem in loco pro suscipiendis hospitibus praeparato, sed in refectorio et simul cum fratribus domnus Papa refecturum se denuntiat. Ubi vero de monasterii totiusque congregationis consuetudine et statuto cognovit, quo pro saecularibus carnes in nostris monasteriis praeparari, vel ab illis comedi prohibetur, mandavit tam a se, quam ab his qui secum aderant, hoc omnino observari debere, ostendens non ad scandalum Dei famulis inferendum, quum tamen sub hac lege non esse ipse constitutus, sed ad spiritualem illis consolationem tribuendam se advenisse; nec tam corporalem cibi refectionem, quam interiorem animae in hoc suo adventu devotionem quaerere. Et ita factum est. In refectorio enim cum cardinalibus plurimis et universo fratrum conventu eidem reficienti cibi (monachis ministrantibus) apponuntur, non quidem delicati, aut quales a curialibus splendide praeparari solent, sed quibus pro sanctae regulae nostrae ordinatione, monachi vesci consuevere. Mirabile quidem videbatur in tanta altitudine, et in tam excellenti culmine, tam profundam humilitatem et mansuetudinem tam grandem intueri. Fratribus post haec spirituales gratias singulatim petentibus benignissime et humanissime largitus est, dicens: Vellemus (quantum in nobis est) ad cœlestem patriam vos omnes libenter destinare. Universali praeterea nostrae congregationi plurima et quidem amplissima, qualiaque praedecessorum suorum nullus nobis concesserat, privilegia, exemptiones et immunitatem, patrum nostrorum supplicationibus clementissime annuens, larga manu gratiosissime indulxit. Cumque eum ibi diutius

collis dorso modico turris erecta est lateritia, quae omnem prohibet accessum non amicum, et fossa deducta, quae in utrumque barathrum emittit aquas, ea parte coniungitur; quo sublato nulli patet ad cœnobium aditus. Declivis est collis, et in medio nobile templum constructum, et iusta monachorum cœnacula, deambulatoria, porticus et omnia officinarum genera, quae necessaria religiosi ducunt: nihil non egregium, nihil non nitidum, et quod non cupide intuearis. Agrum hunc et

---

morari non pateretur, magna eum prosequens comitantium multitudo: nam viri intererant plusquam trecenti cum equis ducentis viginti et amplius, salutatis fratribus, illisque benedictis, et tam ipso quam cœteris congregationis fervore et devotione magnopere in interiori homine aedificatis, ad Petrioli balnea pro lenienda infirmitate profecturus, die secunda postquam illuc venerat (fratribus usque ad Palatium in introitu Montis situm propriis in humeris eum portantibus) abscessit. » Fol. 31, 32.

De hac pontificia visitatione, ipse Summus Pontifex Pius II mentionem agit in quodam ad nostros diplomate, Petreoli dato, III nonas octobris, anno MCDLXII (REGISTR. OLIVET., II, 40, 42; *Privilegia Sacrae Congr. Monach. S. M. Montis Oliveti*, Bononiae, MDLXXX, p. 51-58); nostri autem monachi memoriam posuere, in lapide sculptam, super monasterii, versus Clausuram, parietem, hoc modo:

VT MONVMENTA TVI MA
NEANT P *(per)* SCLA *(saecula)* NOBIS
MVNERIS IN SIGNV̄ *(m)* HOC
STAT T *(tibi)* PAPA PIE
1462.

Quod monumentum adhuc in eodem loco conspicitur, memoriam dierum XXIX-XXX Septembris MCDLXII, omnibus indigitans.

circumiacentem fuisse tradunt nobilium quorundam virorum apud Senenses prognatorum, qui Deo pleni et religionis novellae fuerint inventores, et cœnobii fundatores, cui possessiones suas donaverunt. Nomen viris Bernardo Ptolomaeo, Ambrosio Picolomineo, et Patritio ex gente Patritia fuit, quorum ossa religiose colunt. Parva ab initio fundatio, devotione hominum aucta, felices successus habuit, et in omnem christianitatem propagata est. Ex familia Picolominea multa huic cœnobio accesserunt incrementa, cuius possessiones in circuitu fuere: Avena et Chiatina; quae olim non contempsere loca, nunc fere deserta sunt, ad Picolomineos pertinuere, et plures ex ea familia in Monte Oliveto, post obitum, conditi sunt. Religio eadem fere est, quae Monachorum Sancti Benedicti suam regulam observantium: in habitu discrimen invenias: illi fusca veste utuntur: ii candida ac mundissima: usus carnium utrique pariter interdictus. In cœrimoniis pleraque invenias diversa: in substantia, una fere est vivendi norma: et ii quidem usque in hoc tempus sine infamia vitam agunt. Mons ipse domesticis arboribus consitus, plurimas habet oleas; unde oliveti nomen ortum. Sunt ficus et amygdalae, et pirorum malorumque multa genera: adsunt cupressi nemuscula, in quibus aestate suaves captare umbras licet. Vineta quoque et umbracula pampinea et olerum horti, et lavacra, et fons perennis et cisternae, ac putei: et in ipsis rupibus quercinae silvae, et arbor iuniperi. Deambulatoria multa, quae duos capiant homines, collem ambiunt, mediumque intersecant, hinc atque inde vitibus aut rosetis, seu rore obsita marino. Jocunda monachis solatia, iucundiora his, quibus postquam viderunt, abire licet. Monachi advenientem Pium ingenti gaudio exceperunt, atque omnibus modis aggressi sunt honorare. Apud

Clausuram nundinae fuerunt; itaque frequens populus Pontifici occurrit, et usque ad turrim, quam diximus Oliveti montem claudere, benedictionis consequendae causa descendit. Dies erat quintae feriae, cum eo ventum est: cardinales et omnis familia Praesulis, carnes in cœna manebant: Pontifex iussit omnes eo in loco carnibus abstinere: cum id placitum monachis animadvertisset: exemplumque praelatis ecclesiarum eo deinceps applicaturis dedit, ne carnes pascerent, quibus noscerent ob loci reverentiam Summum Pontificem abstinuisse. Mansit hic et sequenti die Pius, cœnamque cum monachis in comuni refectorio peregit, et cantores introduxit, qui novum carmen de diva Catharina Senensi inter edendum, tam suavi modulatione cecinerunt, ut omnibus monachis dulces excusserint lacrymas. Adscripsit et indulgentias loco non modicas: et privilegia dedit religioni amplissima... ». Pius II ad hunc locum se contulit « per itinera sola aestate calcanda, cum sol omnes ebibit humores; pluviali tempore loca dixeris inaccessa, quae in argilla profundissima nullum admisere lapidem » (1).

***

Cœnobium ergo illud praecipuum et illustre, totiusque Ordinis caput, decimo octavo a Senensi urbe milliario distans (2), insigne religionis, historiae, artisque monumentum, cui olim subdebantur innumera fere monasteria per Italiam posita, « Spicilegii Montolivetensis » erit argumentum princeps. Secundo autem loco, cœnobia

---

(1) Pii Secundi, *Commentar.*, Lib. X, p. 262.

(2) Cf. Lancellotti, *Il Mercurio Olivetano*, p. 75, Perugia, M. DC. XXVIII; Thomas, *op. cit.*, p. 5.

quaeque a monachis Montis Oliveti habita, hominesque in tota Congregatione virtute ingenioque pollentes, investigare conabimur.

Quod ab initio Olivetanae Congregationis ad haec usque nostra tempora, praestare in mente residet.

Nec mirum: cum Monachi nostri communem habuerint cum plurimis aliis sortem, immo iacturam. De quibus referre potest quod intuebatur celeberrimus ille Johannes Mabillonius, Annalium Ordinis Sancti Benedicti conditor: « Maiores nostri veteris illi, facere optima quam scribere magis solliciti, de historia sua adornanda, digerendisque Annalibus parum admodum cogitabant. Prima illis cura erat de moribus formandis, et ad sanctae Regulae normam componendis. Tum quorundam virorum sanctitate illustrium praeclara facta in exemplum aliis proponere visum est operae pretium, et in litteras referre » (1).

Quae a nostro pariter Lancellotto exponebantur. Ait enim: « Sacrae adeantur familiae, quae nostram non satis antecedant amplitudine, et pro comperto erit, vel nullum rerum suarum scriptorem iactitare, vel, si iactitent, recentiorem esse. Penuriam fecit nimia simplicitas, vel modestia (in aliquibus fortasse negligentia), minima scriptionis, et impressionis facultas, perpetua demum caritatum, pestium, et bellorum incommoda, quae mortalibus nullam permittentia tranquillitatem non modo obstiterunt, sed etiam plerisque clarissimis civitatibus, et Rebuspublicis infeliciter actum est... Cur igitur admiremur, non est, quod tam pauca eaque illustria maiorum nostrorum monumenta obtineamus, cum modeste

(1) J. Mabillon, *Annales Ord. S. B.* [Lucae, Venturini, MDCCXXXIX], tom. I, p. xxx, in praefat.

et simpliciter victitaverint, nihil aliud, quam de re divina laborantes. Nec quia annum iam sexagesimum asperitas illa, studiis litterarum inductis, tantillum delinita, nihil tamen optimis illis patribus vitio vertam, sed omnia laudi, cum quicquid habemus, nobis acquisiverint illi, quos recentiores honestissime aemulantur, cum litteris praeterea, vel publicis, vel privatis acquisita custodiant honorificentissime » (1).

Nunc autem quae honorifice custodita fuere, in medium proferenda sunt.

Patres enim nostri, bono Congregationis ordini prospicientes, multa statuere, quae nostris hisce diebus ad historiam rite conflandam, magnam praebent utilitatem. « Familiarum » nempe « tabulas », jam saeculo XIV, conscribendas edicto mandarunt (2); « Necrologium »

(1) LANCELLOTTI, *Histor. Olivet.*, in praefat.

(2) In « Familiarum Tabulis » quotannis adnotabantur monachorum nomina monasticas familias componentium. Michael Angelus Bonhavertius de isto argumento haec habet: « [Il B. Bernardo Tolomei] l'anno tredicesimo del suo Generalato [1335], fece una bella ordinatione, che da l'hora in quà si è sempre osservata, e si osserverà ne l'avvenire: comandò che si tenesse conto di tutte le famiglie, quà in Montoliveto, in un libro deputato a questo, nel quale ogn'anno si scrivono i nomi di tutti gli monaci secondo che sono assegnati in diversi Monasteri. » (BONHAVERTI, *op. cit.*, p. 43).

Sed fortasse huius operis primum volumen depertitum deflemus. Attamen in « Familiarum Tabula ab anno 1379 ad 1458 » haec praefantur: « Ad laudem totius Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, et gloriosissimae Virginis Mariae dulcissimae Matris Christi, et Sanctissimi Patris nostri Benedicti, omniumque Sanctorum et Sanctarum Dei.

« In isto libro scribentur priores omnium locorum nostrae Congregationis cum offitialibus et familiis assignatis eisdem, in Monasterio Sanctae Mariae de Monte Oliveti, in nostris generalibus capitulis annuatim, prout, favente Deo, contigerit celebrari: ponendo quemlibet priorem cum offitialibus et fa-

pariter « Olivetanum » eodem tempore, sollicite componere praescripsere (1); « Chronicorum » denique libros a monacho Cancellario, declinante saeculo XV, describi fecerunt (2). Quae omnia maximum historiae

---

milia sibi assignata per se, secundum ordinem et prioritatem locorum, ac nomina veterum priorum familiarum et offitialium eorundem dampnando, cum eliguntur novi, quemadmodum in nostris constitutionibus seriosius continetur. Factus est autem liber iste et principiatus anno Domini millesimo CCC° LXXVIIII° indictione [II], tempore venerabilis in Christo patris et domni domni Mathei Landini de Prato generalis abbatis religionis nostrae.

« Incipiunt nomina omnium priorum monasteriorum atque locorum Religionis Sanctae Mariae Montis Oliveti, eorumque offitialium et conventualium fratrum subditorum. Qui in capitulo generali ordinati fuerunt, tempore venerabilis in Christo patris et domni domni Mathei quondam Landini de Prato generalis abbatis et benemeriti monasterii Sanctae Mariae Montis Oliveti predicti, et omnium monasteriorum sibi immediate subiectorum. Quod quidem capitulum celebratum fuit in dicto principali monasterio Montis Oliveti predicti, sub anno Incarnationis Dominicae millesimo CCCLXXVIIII° Indictione [II], diebus primo, secundo, III° et IIII° mensis maii, abbatiatus sui anno secundo. »

(1) De quo « Necrologio » haec tradit noster Bonhavertius: « Nel quindicesimo anno [*del suo abbatiato* (1337), *il B. Bernardo*] fece fare un altro libro, nel quale si scrivono i nomi di tutti gli morti de la nostra Religione, e fece un bel proemio inanzi a detto libro, esortando gli fratelli ad esser solleciti a li spirituali suffraggi per i defonti, per l' anime de' quali (oltre gli offici e messe solenni, che si celebrano in tutti gli Monasterii de la Congregatione) ogni Sacerdote dice tre Messe per ciascheduno; tre officii gli Chierici e le Monache; e trecento Pater nostri, e altre tante Ave Marie gli conversi, e comessi. » (BONHAVERTI, *op. cit.*, p. 43, 44).

Quod quidem eo anno statutum fuisse, plura insuper testantur huius « Necrologii Olivetani » exemplaria, quae possidemus, ab anno scilicet 1337 omnia initium sumentia.

(2) Qui « Chronicorum libri », vulgo « Chronicon Cancellariae » ab initio Congregationis Olivetanae disserere de rebus nostris incipiunt.

Olivetanae componendae subsidium suppeditant (1).

Quibus illa magna diplomatum supellex adiungenda, quae in publicis uniuscuiusque civitatis archivis recondita adservatur. Haec enim historica diplomata, in nostro « Spicilegio Montolivetensi » vel ex integro inserenda, vel ex parte concinnanda, prout utilitas poposcerit et rerum momentum, monasteriorum omnium Archicœnobio Montolivetensi olim subiectorum, deinde totius Congregationis Olivetanae historicum fundamentum praebere censentur (2).

In quo quidem munere praestando, methodus primum

(1) Nostris etiam diebus, omnes fere alicuius nominis monachi, de historia olivetana curam habuere, inter quos et R̃m̃ũm̃ D. Camillum M. Seriolo Abb. Gener. (cf. L. F. Fè D'Ostiani, *Il Comune e l'Abazia di Rodengo*, Brescia, 1886, p. XIII), et cl. D. Cajetanum M. Di Negro, abbatem in cœnobio Montis Oliveti Majoris (cf. *Di Fra Giovanni da Verona e delle sue opere, cenni di* Giacomo Franco, Verona, 1863; U. Nomi-Venerosi-Pesciolini, *Un quadro di Bernardino Betti da Perugia* [estratto dalla *Miscellanea stor. della Valdelsa*, III, fasc. 2], Castelfiorentino, 1895), nuper deperditum, adnumerare sufficiat.

(2) Quoad methodum in monumentis historicis transcribendis sequendam, ea nobis praestantior utiliorque visa est, quae appellari potest « interpretativa », hisce verbis a cl. Petro Fedele descripta: « sciogliere le abbreviature, raggruppare o separare lettere, sillabe e parole a seconda del senso; regolare, pur con una certa moderazione, secondo l'uso moderno, l'interpunzione e le maiuscole, fare insomma tutto quello che può facilitare la lettura e l'intelligenza del testo. È lo stesso metodo consigliato dall'Istituto storico italiano, seguito dall'Hartmann per la pubblicazione delle carte di S. Maria in Via Lata (L. M. Hartmann, *Tabularium S. Mariae in Via Lata*, Vindobonae, 1895), e del quale gli fu data lode. » (P. Fedele, *Carte del Monastero dei SS. Cosma e Damiano in « mica aurea »*, in *Archivio della R. Società Romana di Storia Patria*, vol. XXI, 463, 464).

analytica nobis sequenda videtur, ut, completo opere, syntheticum possimus perficere aedificium.

Haec, dum impiae iniustaeque conduntur leges, adversus monasticas familias, et aliae nequiores ab omnibus iam praevidentur (1), ni Deus perditorum hominum corda in bonum deflectat, Congregationis Olivetanae monachi fervide, patriae etiam historiae prospicientes, aggrediuntur.

Haec quoque monenda erant, ut huius nostri « Spicilegii Montolivetensis » utilitas indolesque statim perciperetur. Utinam, hucusque plerisque recondita monumenta, excussa tandem pulvere, omnibus patere possint.

Florentiae, ex Abbatia Septimnianensi, prid. idus Julii, MCMI,
in festo Patrocinii SS. P. N. Benedicti Abb.

---

(1) Sciunt iam omnes, quas, perditissimi homines contra monachos in Galliis degentes, nequissimas tulerint leges. Ipse etiam Summus Pontifex vocem extulit litteris suis « Le Religiose Famiglie » *ad Superiores Ordinum Regularium*, datis die 29 Junii 1901.

DE VITA SCRIPTISQUE

ANTONII BARGENSIS

COMMENTATIO

D. PLACIDI M. LUGANO



DE VITA SCRIPTISQUE
ANTONII BARGENSIS

I. — Antonii Bargensis « Chronicon » in lucem edituris, quaeque de auctore, ipsius vita, moribus, scriptisque nobis relictis, scitu dignissima, haberi possint, in medium proferre nobis liceat. Eius enim vita, monachali habitu decorata; eius mores armis consiliorum Evangelii castigati; eius denique scripta, quamvis inelegantia, satis tamen illius aetatis indolem redolentia, magis magisque nobis profutura existimamus. Est enim hujusce nostrae aetatis haec evidentissima indoles, ut omnia, summa cura, summoque studio, investigentur: ea praecipue, quae ad patriae historiae monumentum, aliquid conferre videantur. Ex quo oritur, ut vel minimi ingenio, si amore laudis litterarumque premantur, ad historiam jam peracti temporis investigandam, sese ultro dedant. In quo quidem munere, multi revera, et ratione methodi rei aetatique nostrae aptae, et ratione studii veritatis, quaecumque sit, inquirendae, magnam sibi meruere laudem. Sed haec minima utilitas: nam, quod magis curandum, et homines et tempora jam acta, fulgida luce, historica arte deducta,

In Bargensis Vitam Prologus.

circumquaque diffusa, videmus diligimusque. Quod sane nec spernendum, nec minimum emolumentum esse, eruditi homines existimant.

Quidquid ergo de Antonii Bargensis vita scriptisque colligere undequaque mihi fas erit, enucleando, et, pro minima mei ingenii parte, investigando, proferam.

In pago Bargensi nascitur sub fine saec. XIV.

II. — In pago Bargensi, vulgo « Barga », in agro Lucensi (1), sub fine saeculi XIV, Antonius noster vitam agere cœpit. Quinam fuerint parentes; quae vivendi ratio; quae domus familiaeve consuetudines, nos penitus latet. Ex gente tamen Ugucia ortum duxisse, compertum habemus (2). Tabularii nostri monumenta, nullam viri praeclarissimi exhibent originem. Nec mirum: primis enim nostri Ordinis temporibus, haud curavere patres illi veteres, quae de viris, in eo florentibus, virtute ingenioque pollentibus, scitu digna forent, scriptis tradere, hoc unum prae oculis semper habentes, monacho magis convenire, memorabilia agere, quam acta chartis consignare. Ea enim aetate, semper utique adamanda, quum ipsi fere omnes splendore virtutum, ingeniique robore eniterent, aut de omnibus aequaliter loquendum, aut de omnibus pariter silendum. Hoc ultimum eligere statuerunt, homines humilitate maxima fulgentes. Nec nobis propterea dolendum; cum ipsi patres nostri exemplum virtutis, tacendo, relinquere aestimaverint; ac si humilitate firmanda omnia, nobis indigitare vellent.

---

(1) Cf. Repetti, *Dizionario geografico, fisico, storico della Toscana*, Firenze, 1833, I, 273-280.

(2) Legitur enim in quodam actu, anno 1429, exarato « fra Antonio *di Guccio* da Barga »; in aliis vero, annis 1431, 1435, 1436 confectis, reperitur « fra Antonio *Gucci* da Barga » (Archiv. Stat. Florent., *Monaster. suppress.*, 168, vol. 57).

III. — Attamen compertum esse, Bargensem nostrum, juvenilem adhuc gerentem aetatem, Congregationi Benedictinae, cui a Monte Oliveto titulus est, nomen dedisse, scimus omnes. De eius tyrocinio inter nobiles novi ordinis sodales, nihil certi apparet. Sed ex fastigio dignitatis, quo evectum, processu temporis, enarrabimus, argumentum sumere liceat ad affirmandam ipsius animi rectitudinem, maximamque constantiae virtutem, quibus per callem perfectionis, recto tramite, ascendisse credimus. **Olivetanum amplectitur Institutum.**

Si autem ad nomen Bargensis referenda est notula quaedam in antiquo « Necrologio Olivetano », constat monachum nostrum vota emisisse anno 1414, die vero 2 februarii (1): quod quidem in dubium minime vocandum: nam et anno 1415 jam adnumeratur inter Conventuales Monachos monasterii florentini Sancti Miniatis (2). Hoc autem testantur scriptores synchroni, qui, quolibet anno, a Capitulo generali eligebantur, viri omni fide digni ex probatissimis praestantissimisque, ut singulorum nomina monachorum in apposito codice, cui titulus « Familiarum Tabula », juxta designationem Capituli et Abbatis generalis, describerent: quae vero « Familiarum Tabulae » proinde maximam sibi vindicant auctoritatem.

IV. — A monasterio florentino Sancti Miniatis, anno 1416, transfertur inter Conventuales Sancti Bernardi de Aretio (3), et anno 1417 inter illos regalis cœnobii Bono- **Eius vita ab an. 1416 ad an. 1419.**

(1) Hoc *Necrologii Olivetani* exemplar exaratum fuit ex Libro Montis Oliveti Majoris, usque ad annum 1520, per fr. Lucam de Bononia, qui obiit Senis, anno 1520, procurator Ordinis. Anno autem 1452, ipse ad nomen emortuale Antonii Bargensis adnotavit, alio tamen atramento, « professus 1414, 2 februarii, Bononiae ».

(2) FAMILIARUM TABULA ab a. 1379 ad 1458, II, a. 1415, p. 121.

(3) FAMILIAR. TAB., II, p. 123.

niensis Sancti Michaelis de « Boscho » (1), in quo quidem monasterio et anno 1418 moratus est (2); anno autem 1419 ibi fungens Cellerarii munere (3).

Qui Cellerarius monasterii, juxta mentem Beati Benedicti, « eligatur de congregatione sapiens, maturis moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbolentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum, qui omni congregationi sit sicut pater » (4). Ipsius est curam gerere de omnibus, de seipso humiliter sentire, fratres non contristare, ad nutum abbatis omnia peragere.

Quanto studio Antonius noster in id muneris incubuerit, nemo ambigere potest. Nam et ipse exemplum bonorum operum in seipso fratribus porrigere satagens, nondum elapso anno 1419, jam ad altiora ascendere coactus fuit.

V. — Quod quidem factum est anno 1420, quum in
1420-26. monasterio nostro Sanctae Mariae de Riperia, Patavinae dioeceseos, Magister Novitiorum renuntiatur (5). Ipse enim a Sancto Benedicto describitur « Senior, qui aptus sit ad lucrandas animas » (6), cuius munus hisce verbis Constitutiones antiquae Ordinis Montis Oliveti declarant: « Officium vero Magistri illud esse declaramus, ut ubi ab abbate Novitiorum cura sibi assignata fuerit, omni cum charitate, et modestia, summaque discretione

---

(1) FAMILIAR. TAB., II, p. 126.

(2) FAMILIAR. TAB., II, p. 129.

(3) FAMILIAR. TAB., II, p. 130.

(4) SANCTI BENEDICTI *Regula*, cap. XXI. Cf. expositionem PAULI WARNEFRIDI, *diac. Cassin.* (Typis abb. Montis Casini, MDCCCLXXX, p. 310 seqq.).

(5) FAMILIAR. TAB., II, p. 133'.

(6) *Regula*, cap. LVIIII.

illos regat, et custodiat, eosque tum bonas literas et sanctas, tum vero optimos mores imbuat, nec illis Regulam, traditionesque nostras exponere negligat... » (1).

Septem annis hoc mumere laudabiliter functus est Bargensis noster; ab anno scilicet 1420 usque ad annuum 1426. Duobus vero annis (1420, 1421) in monasterio nostro Patavino Sanctae Mariae de Riperia (2); duobus (1422, 1423) in cœnobio Sancti Miniatis de Florentia (3); et aliis tribus sequentibus (1424, 1425, 1426) in monasterio Perusino Sanctae Mariae Montis Morcini (4).

VI. — Inter fratres conventuales cœnobii Patavini Sanctae Mariae de Riperia adnumeratur denuo duobus 1427-1440. annis (1427, 1428) (5), usque dum, anno 1429, inter conventuales cœnobii Florentini Sancti Miniatis adscriptus est (6). Ex quo transire cogitur ad propinquum Monasterium Sancti Bartholomaei, modo de « Monte Oliveto » vocitatum, in quo, titulo « prioris » decoratus, summa cum laude, monasticam familiam rexit gubernavitque, tribus hisce annis 1430, 1431 et 1432 (7). Quo quidem tempore, duobus vicibus, nempe annis 1431 et 1433, ad Capitulum generale, in Monte Oliveto Majori congregatum, se contulit, ad electionem abbatis generalis (8).

---

(1) *Constitutiones Ordinis Montis Oliveti*, Pars I, cap. XVIII, Bononiae, apud A. Giaccarellum et Peregr. Bernardum Socios, Nonis Octobris. M.D.LIX, p. 45, 46.

(2) FAMILIAR. TAB., II, p. 133', 135'.

(3) FAMILIAR. TAB., II, p. 138, 141.

(4) FAMILIAR. TAB., II, p. 145', 148'.

(5) FAMILIAR. TAB., II, p. 150', 152'.

(6) FAMILIAR. TAB., II, p. 156; cf. ARCH. STAT. FLORENT., *Monaster. suppress.*, 168, vol. 57, doc. 13 decemb. 1429.

(7) FAMILIAR. TAB., II, p. 157, 160', 163.

(8) FAMILIAR. TAB., II, p. 160, 163.

A cœnobio Florentino Sancti Bartholomaei, anno 1433, abbas electus, ad aliud pariter Florentinum, jam saepe memoratum, Sancti Miniatis monasterium regendum assumitur (1). In quo munere explendo, omnia quae praecipiuntur a Sancto Benedicto (2), ad unguem, sibi aliisque studens, opere complevisse dicendum est.

Anno 1434 prior monasterii Sanctae Mariae de Castro Sancti Geminiani renuntiatur (3); anno 1435 in cœnobio Sancti Hieronymi de Pisis, prior eligitur (4); anno 1436 in monasterio Florentino Sancti Bartholomaei (5), et anno 1437 in loco Sancti Benedicti de Pistorio, prioris titulo, monasticam rexit familiam (6).

Denuo, anno 1438, renuntiatur abbas Sancti Miniatis de Florentia (7). A quo cœnobio pergit in Montem Olivetum Majorem, in agro Senensi positum, ubi prior efficitur anno 1439 (8), et anno sequenti 1440, eodem titulo praeficitur familiae monasterii Sancti Andreae de Volaterris (9).

A. 1434 Bargensis Visitator eligitur.

VII. — Nunc autem redeamus ad annum 1434, quo Bargensis noster inter Visitatores Congregationis cooptatus fuit. Antiquitus enim Visitatores vel duo vel tres numero fungebantur munere suo: nunc vero, quum Antonius de Barga ad hoc officium assumebatur, sex et non minus, in visendis monasteriis, abbati generali adjutorium mo-

(1) Familiar. Tab., II, p. 167.
(2) S. Benedict. *Regula*, cap. II.
(3) Familiar. Tab., II, p. 169, 171.
(4) Familiar. Tab., II, 173'.
(5) Familiar. Tab., II, 175.
(6) Familiar. Tab., II, p. 177'.
(7) Familiar. Tab., II, p. 179'.
(8) Familiar. Tab., II, p. 181'.
(9) Familiar. Tab., II, p. 184.

remque gerere curabant. Quam innovationem Reformatores ab Apostolica Sede deputati, anno 1430, statuerunt: qui propterea munus et officium ita describebant: « De quorum [Visitatorum] consilio et consensu vel maioris partis eorum, ac voluntate expressa teneatur dictus abbas [generalis] et debeat ordinare, facere, sive disponere, absolvere, instituere, sive permutare, tam in totum quam in partem, annis singulis in Capitulo generali, aut quomodocumque necessarium fuerit, omnes et singulos priores, prelatosque, et alios officiales, et familias omnium, singulorum ac quorumcumque conventuum et monasteriorum ordinis predicti, eorumque visitationes facere, et distribuere quotiens et quandocumque eis necessarium fore videbitur, tam in totum quam in partem, conventuum et personarum omnium et singulorum: ac omnia et singula statum ordinis quomodolibet concernentia, tam in totum quam in partem; et ea que proponerentur in Capitulo generali, aut alias quecumque evenerint simili modo et forma tractare et determinare, ac demum executioni mandare. Item nec valeat absque consensu maioris partis, predictorum sex, super constitutionibus ordinis prefati, nec super penis et penitentiis publicorum delictorum, ac irregularitatibus, et inhabilitatibus aliis, cum delinquentibus dispensare. Insuper nec bona prefati ordinis aut pecunias distribuere, nec alias preterquam ad bursam communem, seu aedem sacram, clandestine congregare. Sed in hiis omnibus eam tantum facultatem habeat, quam quilibet alius prior habet in suo monasterio singulari. Quorum quidem visitatorum sic electorum tempus regiminis duret hoc modo, videlicet, quod in fine anni a die conclusionis generalis capituli computandi, tribus ex ipsis ob officio visitationis hujusmodi absolutis, per abbatem et predictos sex visitatores, vel

Visitatoris Munus.

maiorem partem eorum, tres alii subrogentur: et sic annis singulis, tres ex eis, qui plus officio visitationis prefuerint, amoveantur, et tres de novo subrogentur eisdem; nec valeant confirmari, sed per biennium continuum vacent ab officio visitationis, antequam de novo eligi possint ad dictum visitationis officium » (1).

Quod munus Bargensis noster, magna laude, explevit annis 1434 et 1435 (2).

A. 1440-1441. Abbas in monasterio Demisiensi.

VIII. — Iterum anno 1440 ad hoc officium assumitur; sed anno 1441, abbas renuntiatur in monasterio nostro Demisiensi Sanctae Margaritae, in partibus Hungariae (3).

Monasterii Demisiensis historia.

De quo quidem cœnobio, nobis tradito, haec habet Bargensis noster: « Hujus [abbatis *Laurentini* de Aretio] tempore, idest anno primo [1435], acceptatum est monasterium Sanctae Margaritae de Demisio, in partibus Ungarie, quod ordini nostro contulit illustrissimus imperator Sigismundus. Set de hac acceptatione non bene successit ordini, quia valde dampnosum fuit animabus plurimorum fratrum, quia in remotis partibus, non poterat visitari, et sic plura inconvenientia venerunt » (4).

In quo opulentissimo monasterio, jam anno 1435, abbas Bernardus Filipponius, patria Vercellensis, cum aliis tribus Monachis, sedem monachalem posuit (5). Qui

---

(1) Regist. Olivet., II, 25 (doc. 17 maii 1430).

(2) Familiar. Tab., II, p. 169, 171, 174.

(3) Familiar. Tab., II, p. 188'. Cf. Lancellotti, *Historiae Olivet.*, I, p. 42; Belforti, *Chronologia Brevis*, Mediolani, MDCCXX, p. 4.

(4) A. Bargensis, *Chronicon*, p. 57.

(5) Familiar. Tab., II, 174: In Monasterio Ungarie: Abbas *fr. Bernardus de Vercellis* — Conventuales: *fr. Laurentius de Luca*, *fr. Henricus de Alamania*, *fr. Johannes de Alegris de Mediolano*.

abbas Bernardus hoc cœnobium rexit usque ad annum 1440, quo aeternitatem petiit, quamvis in « Necrologio Olivetano » adnotetur inter defunctos an. 1441 (1). Familia vero monasterii Demisiensis, anno 1436, tribus pariter Monachis et Abbate constabat (2); anno 1437,

---

(1) Quaedam heic de hoc, inter nostros praestantissimo viro, addere fas sit.

Nihil de eius vita in saeculo dicere possumus: scimus tamen Vercellis in Insubria hunc Bernardum ortum duxisse. Inter Congregationis Olivetanae alumnos adnumeratur anno 1409, in monasterio nostro Bononiensi Sancti Michaelis « de Boscho », ibique novitium agere cœpit et monachum (1410). Anno vero 1411, « Sacrista » in monasterio Pistoriensi S. Benedicti renuntiatur, et tribus sequentibus annis (1412, 1413, 1414), « Magister Novitiorum » in monasterio S. Catharinae de Fabriano. Deinde « prior » rexit monasterium S. Benedicti de Senis (1415); S. Mariae de Bedagio, in agro Mediolanensi (1418, 1420, 1426); Montis Oliveti Maioris (1422, 1423); S. Helenae de Venetiis (1416, 1417, 1430, 1440); S. Johannis « de Venda », in agro patavino (1432); S. Hieronymi « de Quarto », apud Ligures (1433); « abbas » vero gubernavit monasterium Florentinum Sancti Miniatis (1421, 1428, 1842) et cœnobium Hungaricum S. Margharitae de Demisio (1435-1440), in quo, supremum diem obiit, et eius ossa venerantur. Tradunt etiam, scriptores nostri ibi, in pago, videlicet Demisiensi, urbi Strigoniensi vicino, miraculis clarere: quod vero rerum Hungaricarum scriptores nescire videntur. Cf. TONDI, *L' Oliveto illustrato*, Venezia, 1684, p. 65. Noster insuper Michaelangelus Bonhavertius (*Il miracoloso principio de la Congreg. di S. Maria di Montoliveto*, in Ferrara, MDCV, p. 47, 48) de ipso haec nobis tradidit: « Il P. Bernardo da Vercelli, padre di buone lettere, et huomo di santa vita, il quale scrisse un libro in Dialogo con varie sorti d' orationi e di contemplationi, e l'indrizzò al venerabile f. Antonio Barga, pur nostro monaco, qual'era stato suo compagno. *E il detto libro si conserva ancora, e si ritruova qua in Montoliveto.* » Sed D. Secundus Lancellottus (*Hist. Oliv.*, I, 42), sua aetate, hunc precum et meditationum codicem dialogisticum, omnes latere scribit.

(2) FAMILIAR. TAB., II, 176': IN MONASTERIO UNGARIE: ABBAS

quatuor et abbate (1); anno 1438, sex et abbate (2); et annis 1439, 1440 quatuor solummodo et abbate (3).

Statim ac fato cessit, cum sanctitatis fama, abbas Bernardus Filipponius, cœnobium Demisiense suscepit regendum abbas visitator Antonius de Barga, anno scilicet 1441 (4). Sed anno sequenti dimisit. Illud vero, anno 1442, rexit abbas « fr. Nicolaus de Regio » (5); anno 1443, abbas « fr. Bartholomaeus de Mantua » (6); anno 1444, abbas « fr. Matthaeus de Senis senior » (7), et anno 1445, abbas « fr. Nicolosus de Savona » (8);

---

fr. Bernardus de Vercellis — CONVENTUALES: *fr. Henricus de Alamania, fr. Michael de Vulterris, fr. Antonius de Ungaria.*

(1) FAMILIAR. TAB., II, 178': IN MONASTERIO SANCTE MARGARITE DE UNGARIA: ABBAS *fr. Bernardus de Vercellis* — CONVENTUALES: *fr. Henricus de Alamania, fr. Georgius de Alamania, fr. Michael de Vulterris, fr. Antonius de Ungaria.*

(2) FAMILIAR. TAB., II, 180': IN MONASTERIO SANCTE MARGARITAE DE DEMISIO IN UNGARIA: ABBAS *fr. Bernardus de Vercellis* — CONVENTUALES: *fr. Antonius de Crealcore de Bononia, fr. Johannes de Ferraria, fr. Johannes de Leodio, fr. Antonius de Christianis de Bononia, fr. Steffanus de Varesio de Mediolano, fr. Tomas de Asciano, fr...*

(3) FAMILIAR. TAB., II, 183': IN MONASTERIO SANCTE MARGARITE DE UNGARIA; ABBAS *fr. Bernardus de Vercellis* — CONVENTUALES: *fr. Antonius de Crealcore, fr. Johannes de Monte Claro, fr. Johannes de Leodio, fr. Steffanus de Varesio de Mediolano.*

(4) FAMILIAR. TAB., II, 188': IN MONASTERIO SANCTE MARGARITE DE UNGARIA: ABBAS *fr. Antonius de Bargha* — VICARIUS *fr. Antonius de Crealcore* — CONVENTUALES: *fr. Steffanus de Varesio, fr. Johannes de Leodio.*

(5) FAMILIAR. TAB., II, 191': PRIOR CLAUSTRALIS *fr. Antonius de Crealcore* — CONVENT.: *fr. Steffanus de Varesio de Mediolano.*

(6) FAMILIAR. TAB., II, 194': PRIOR CLAUSTR. *fr. Ant. de Crealcore* — CONVENT.: *fr. Johannes de Leodio* (omnes presbyteri).

(7) FAMILIAR. TAB., II, 198 (eadem familia ut supra [6)).

(8) FAMILIAR. TAB., II, 200'.

quo tempore nostri cœnobium Hungaricum Sanctae Margaritae de Demisio « Dômôs » vel « Dômôsi » dimisere. Quae nunc sufficiant pro historia huius monasterii (1).

IX. — Bargensis vero anno 1442, abbas renuntiatur in cœnobio Florentino Sancti Miniatis (2); anno 1443, abbas SS. Jacobi et Christophori monasterii Roffeni in agro Senensi (3); anno 1444 prior Sanctae Mariae de Riperiae, Patavinae diœceseos (4), et annis 1445 et 1446, prior monasterii Sanctae Mariae Montis Oliveti de Neapoli (5). A. 1442-1452.

Hic summa familiaritate usus est Bargensis noster cum Bartholomaeo Facio, viro doctissimo, a secretis Alphonsi V Aragoniensis, quem vocat « dilectissimum filium » et cui direxit opellam quamdam « de dignitate hominis et de excellentia humanae vitae », ex qua inferius prologum referam. Cui librum etiam « de Magistratibus et Praelatis » dicavit (6).

Anno vero 1447, Antonius de Barga, prior assumitur in monasterio Pratensi Sancti Bartholomaei, vulgo « delle sacca » in quo usque ad annum 1450 permansit, monasticam familiam opere et exemplo laudabiliter regens (7).

Hinc ad monasterium Florentinum Sancti Miniatis, anno 1451, revocatur, abbatis titulo ultima vice decoratus. Nam, anno sequenti 1452, supremum diem clausit, ibique in perantiqua insignique basilica sepelitur (8). Eius obitus.

(1) Cf. M. Szvorengi, *Historiae Ecclesiasticae Regni Hungariae Amœnitates*, Taurini, 1795, p. 187, 190.
(2) Familiar. Tab., II, 190.
(3) Familiar. Tab., II, 193'.
(4) Familiar. Tab., II, 195'.
(5) Familiar. Tab., II, 200, 203'.
(6) De quibus omnibus inferius dicam.
(7) Familiar. Tab., II, 207, 210, 213', 216.
(8) Familiar. Tab., II, 218', 221'.

Dum hanc vitam ageret Antonius de Barga, summa intimaque familiaritate sancto viro Bernardino Senensi conjunctus erat (1): de Bartholomaeo Facio, veluti de filio dilectissimo, gloriabatur; Johannem de Marcha Nova, sodalem Camaldulensem, famosissimum doctorem in Bononiensi studiorum universitate, alterumque Johannem Pratensem, doctorem eximium, inter amicos dilectissimos habuit.

Haec de vita Bargensis satis sint: de scriptis aliquid addere liceat, et primo quidem, de asceticis; postea vero, de historicis sermo erit.

Bargensis opus « de dignitate hominis ».

X. — Codex, ex quo nostrum « Chronicon » depromimus, quemdam librum Bargensis continet, qui inscribitur « de dignitate hominis et de excellentia humanae vitae ». Quidnam sit, cui dirigatur, et qua mente auctor scripserit, accipias, quaeso, ex ipsius epistola dedicatoria.

Illius Prologus.

« *Antonius Bargensis Monachus*, dictus prior Montis Oliveti in Partenope, salutem dicit Bartolomeo Facio, suo in Christo dilectissimo filio; salutem, et sospitatem praesentem, et in finem salutem et gloriam sempiternam. Quidam olim Innocentius Romanae Ecclesiae summus pontifex quemdam libellum luculento sermone componens, in quo abundanter et copiose de humana miseria, et hominis vilitate disseruit, incipiens ab eiusdem hominis conceptione, nec destitit eius miserias atque infelicitates enarrare, quousque miserrimus perductus est ad infernum. Quem libellum ipse quoque beatae memoriae Antistes intitulandum « de humana miseria », non immerito esse putavit. In quo opere idem felicis recordationis Papa, pollicitus fuit sociale opus componere, quod e converso intitulari debuerat « de dignitate et excellentia hu-

(1) Cf. A. Bargensis, *Chronicon*, p. 20.

manae vitae ». Sed nequaquam egit, nec ab aliquo priorum poetarum, theologorum, et recthoricorum, de tam eximio opere, temporibus retroactis narratum esse reperio. Credo eumdem Innocentium in Ecclesiarum regimine constitutum, quem dominus speculatorem dederat domui Israel, atque dimicatorem contra inimicos Ecclesiae, ut olim turrim David contra Damascum, uti hominem occupatissimum, quod olim promiserat, nullo modo implere potuisse. Quapropter, dilectissime fili, et inter caeteros filios meos in Christo ut plurimum cordialissime, multifarie de tua dilectione et caritate confidens, non praecipiendo, non cogendo, sed dulciter supplicando, atque humiliter exhortando, te rogo quatenus eumdem libellum, a iam transactis temporibus ab illo summo pontifice olim promissum, exequi velis ad meam exhortationem, tuamque consolationem et meritum, omniumque Christi fidelium futuram instructionem perpetuamque salutem. Quare eumdem libellum tibi mitto, non compositum, sed aliqualiter, per aliquas distinctiones et capitula breviter designatum. Et quoniam, ut cernis, amantissime fili, iam in fine quadragesimae, multis attenuatus ieiuniis, vigiliis quoque, regularibusque observantiis fatigatus, nec non, proh dolor, exterioribus negotiis, pro defensione monasterii invite detentus sum, et post haec omnia, adhuc requiem non invenio. Sed celebrato praesenti ieiunio et Pasca futuro pro negotiis mei ordinis, obedientia et necessitate compulsum ad nostrum Capitulum generale, prope Senensem civitatem in proximo celebrandum, oportet me quantocius properare. Ideo his omnibus occupationibus praepeditus, ad opus praefatum decenter et morose vacare non possum. Sed gaudeo, sane, quia te, fili dulcissime, in arte oratoria eloquentissimum repperi, qui inter alios oratoriae artis, uti audeo dicere, non modo secundus, immo

primus post Tulium, tulianam eloquentiam imitaris. Igitur quicquid per me invenies minus designatum (non erubesco, immo glorior de tanto filio), tuum erit corrigere, emendare, ampliare, ornare, atque componere, quia datum est tibi desuper talentum tantae nobilitatis, idest, tantae scientiae, quae solum cum moribus nobilitat hominem. De quo laudes infinitas refero omnium Creatori, qui tam excellenti dono meum filium decoravit. Eia ergo, dilectissime, accinge fortitudine animum tuum, et tam nobile opus aggredi non formides, confidens in Domino omnium bonorum largitori, qui linguas infantium facit esse dissertas, quod ipse omni bonitate et misericordia plenus largusque in muneribus, non negabit tibi quidquid ad laudem sui sanctissimi nominis, eiusque fidelium salutem et meritum humiliter postulaveris. Volo tamen libellum ipsum michi destinare non tardes, cum opitulante omnipotentis gratia, ad finem usque compleveris. »

XI. — Hucusque prologus seu epistola dedicatoria. Sequitur deinde liber, cui praecedit haec rubrica « Liber intituletur de dignitate hominis et de excellentia humanae vitae ». Postea incipit rem agere dicens: « ante omnia enarrandum est, quare Deus fecit hominem, et corporeum et incorporeum »; quo evoluto, explicat « quid sit imago et similitudo Dei in homine ». Hinc transit ad dignitatem et excellentiam hominis tractandam, varias in medium sanctorum Patrum referendo sententias, post quas subjungit: « Et quamvis ipsa excellentia hominis sit incomparabiliter prestantior caeteris creatis, et magis sit ipse habilis adhaerere verae beatitudini et capax sit omnium frui, tamen duodecim erunt beatitudines, in quibus ipse totus homo, transactis erumpnis presentis saeculi, perpetuo, exuberabit ». Quo facto, singulas sanctorum civium beatitudines illustrare et elucidare brevi,

Quid sit.

sed luculento sermone, conatur (1). Quae Beatitudines, juxta mentem Bargensis, per sex gaudia supernorum civium compleri putandum est. Ipse enim addit: « Scire namque debemus quod electorum gaudium in sex principaliter consistit, scilicet, in visione et cognitione sanctissime Trinitatis; in amœnitate loci; in societate sanctorum; in glorificatione corporum; in inferno, et in mundo. » Quae gaudia, sermone eruditione conferto, ab auctore nostro explicantur (2).

Hoc, opus Bargensis: haec via sequenda a Bartholomaeo Faccio in tractatione « de dignitate hominis et de excellentia humanae vitae ».

Sed quo tempore haec scripsit Bargensis noster, et qua ratione ipse Faccius opere magistri, vel patris sui in amore Christi, usus est? Paucis respondemus. Quandoque scriptum.

Scripsisse quadragesimali tempore, ante festum Paschae, Bargensis ipse testatur, in epistola dedicatoria; anno vero 1447, ex « Familiarum Tabula » facile eruitur. Nam « capitulum generale prope Senensem civitatem in proximo celebrandum » ad quod Bargensis quantocius sibi properandum esse scribit, coadunatum est die ultima mensis Aprilis, quae fuit dominica tertia post Pascha, anno 1447, in cœnobio Montis Oliveti Majoris, prope Senas: et inter praesentes, vocemque in capitulo

(1) En tibi XII Beatitudines cœlestium civium in opere Bargensis explicatae. I Beatitudo: Satietas sine infirmitate. — II: Juventus sine senectute. — III: Satietas sine fastidio. — IV: Libertas corporum. — V: Pulchritudo sine malitia. — VI: Impassibilitas et immortalitas. — VII: Abundantia sine defectu. — VIII: Pax sine perturbatione. — IX: Requies sine labore. — X: Scientia sine ignorantia. — XI: Gloria et honor, quem omnes electi mutuo sibi praestant. — XII: Gaudium sine tristitia.

(2) Haec omnia continentur in XX foliis nostri Codicis.

habentes, adnumeratur « fr. Antonius de Barga, prior monasterii neapolitani » (1). Ex quo patet, anno 1447, tempore quadragesimali, Bargensem hoc opus scripsisse, Faccioque misisse.

Qua ratione hoc opere Faccius usus sit.

Ipse vero Bartholomaeus Faccius, ad normam ab Antonio indigitatam, librum edidit « de excellentia ac praestantia hominis ad Nicolaum papam quintum (2); quod sane opus, saltem per summa capita, ad mentem abbatis nostri, scriptum fuisse liquido constat.

Hoc enim modo incipit: « De hominis excellentia scribere nuper aggressus sum, Beatissime Pater, de qua quidem re acceperam Innocentium Fliscum, qui olim fuit et ipse Pontifex Maximus, virum plane eruditissimum, in eo libro, in quo humanas miserias complexus est, pollicitum esse sese scripturum; sed, quod fortasse accidere potuit, Pontificatus negotiis impeditum, quod

---

(1) Familiar. Tab., II, an. 1447, p. 205.

(2) Cf. Felini Sandei, *De Regibus Siciliae*. — Aen. Sylv. Piccolominei, *Parallela Alfonsina* quibus accedit Bart. Faccii, *Liber de humanae vitae felicitate, et Liber de excellentia ac praestantia hominis*, Hanoviae, Typis Wechelianis, M. DCXI, p. 149-168.

In hac autem editione, Liber B. Faccii « de excellentia ac praestantia Domini » inscribitur ad Pium II; sed quum de hoc opuscolo memoria agatur in alio libello ejusdem auctoris « De viris illustribus », qui elocubratus ab eo fuit antequam Aeneas ad Cardinalatum evectus esset, pro Pio II, Nicolaus V reponendus est. Quod iam innuerat Cl. Laurentius Mehus, in Praefatione ad libellum « De viris illustribus » (in Colonia, p. xxx, xxxvii): quod insuper nos edocet etiam Codex Vatic. 3562, cuius auctoritate fretus Cl. Domin. Georgius, in eruditissima disquisitione « De Nicolai quinti Pont. Max. erga litteras et Litteratos viros patrocinio » (pag. 199), ait Syntagma « de hominis excellentia » a Barth. Faccio elocubratum fuisse, atque ab eo Nicolao V Pontifici nuncupatum.

promiserat, non praestitisse. Nam cum vehementer cuperem aliquid in nomine tuo edere, quod meam in te pietatem, atque observantiam singularem, apud Sanctitatem tuam, atque adeo omnes testificaretur, hanc profecto rem, authoritate tua maxime dignam existimavi. »

Rem ipsam agere et explicare conatur. « Ante omnia par esse arbitror, cum de hominis praestantia tractaturus sim, cur Deus hominem fecerit, paucis exponere. » Hic Platonicorum, Stoicorum, sanctorumque Patrum sententias refert, Augustini, Lactantii, Gregorii et Magistri Sententiarum. De Beatitudinibus et gaudiis supernorum civium pulcherrimam agens synthesim (1), finem operi feliciter imponit.

XII. — Nunc autem de alio libello Bargensis memoriam facere liceat, qui in aliqua forte aede accademica Neapoli ab ipso auctore legebatur, vel saltem eidem Barth. Faccio auctor dicavit. Titulus est: « Liber de Magistratibus et Praelatis ». Istius libri epistolam nuncupatoriam in medium proferre non licet, quia quaedam folia, in quibus major operis pars continebatur, in nostro codice deesse video. Opus autem constat septem capitibus, prout in indice habetur (2).

Bargensis « Liber de magistratibus ».

(1) Cf. praesertim *(edit. cit.)* pag. 155, ubi de imagine Dei in homine et p. 161-167, ubi de gaudiis et beatitudinibus electorum Barth. Faccius agit.

(2) Videas, quaeso, hujus operis indicem. « Cap. I: Quomodo praelati comparentur medicis et in quibus virtutibus occupentur. — Cap. II: De timore divino et de affectionibus, quantum ad praelatum. — Cap. III: Quod praelatus sit misericors. — Cap. IV: Quod praelatus sit iustus. — Cap. V: Quod praelatus spernat munera. — Cap. VI: Quod praelatus omnia faciat ad utilitatem subditorum. — Cap. VII: De excellentia praelatorum. »

In nostro codice habentur solummodo XV folia hujus operis: reliqua praecedentia desunt.

Placeat tamen audire quomodo Bargensis libro suo finem imponat. « Cuncti admirantes [erant] ea quae dicebamus. Jam erat nona et hora prandii, osculatisque omnibus reduxi me in monasterium Montis Oliveti. Te autem, qui peritus es in divinis et humanis, et in praefectura et magistratu alios excellis, si in tali locutione bene locutus sum, vel non, tuum erit emendare, corrigere et limare; oramus, ut de praefectura et magistratu librum digneris componere, quia polles eloquentia et facundia dicendi, et in re publica in variis legationibus et praefecturis exercitatus es. Nos si bene locuti sumus, ornatum et facundiam non curavimus. Tu qui vere dives [es], vesti librum, vel libellum, sive epistolam de Magistratibus et Praelatis intitulatum. »

Dubium non est quin et hic liber Faccio directus sit: certum saltem videtur quod Faccius opus, ad huius imaginem, non composuerit, dummodo et hoc opus in latibulis bibliothecarum non lateat.

Bargensis « historia Tusciae ».

XIII. — Tempus est, ut ad historica Bargensis scripta, transeamus. Et primo quidem sese ultro nobis exhibet quoddam opusculum « de historia Tusciae », precibus doctoris Johannis de Marcha Nova compositum, cui opus dicatum habemus.

Ita enim aggreditur novam tractare rem: « Antonius Bargensis, Monachus Montis Oliveti, dilectissimo in Christo filio Johanni de Marcha Nova, in liberalibus artibus decorato, salutem. Quia valde diligis me, et Pallam (1), aliosque Florentinos, et numquam vidisti provinciam nostram; ut scias unde Tusci habent originem,

(1) Hic est litteratissimus et doctus ille vir Florentinus, Pallas, ex gente Strozziana, amicus Bargensis et Monachorum Montis Oliveti.

et quales fuerint, qualesque sint in moribus, quamvis multum degeneraverint ab antiquis patribus, meum tibi parumper desudet ingenium. »

Si quaeras a me, quo modo a nostro, Historia Tuscorum agatur, repono, quod ipse per summa capita, « de Lida, quae est provincia in Asia minori » originem populi, Etruriam deinde incolentis, ducit, cuius res gestas et retroactis temporibus mediaque aetate, brevi admodum sermone enarrare conatur.

Quando conscripta.

Quo tempore, quove loco auctor haec scribere agressus sit, habes ab ipso. « Et ista descripsimus in provincia de Flaminia, in agro Ariminensi, contra Dalmatiam, in monte qui dicitur Scolca, dum ibi morarer causa visitandi cum abbate nostro generali, anno salutiferae incarnationis domini nostri Jesu Christi, millesimo quadringentesimo XL° nono, ydibus septembris » (1). In fine autem hujus historiae, Auctor mentionem facit de alia opella in votis fienda, dicens : « Si Dominus dederit tempus, vel otium, reliquos illustres, et de Florentia et de tota Tuscia, [viros] dicemus, et in omni facultate, quia multi sunt » (2). Quod forte opus, magis placeret, quam antiqua Tusciae historiuncula, de qua memoriam fecimus.

Nunc autem in « Chronicon » gressum facere libet.

«Chronicon».

XIV. — Ex prologo in « Chronicon », luce meridiana clarius patet, Bargensem Johanni de Marcha Nova opus

(1) De monasterio nostro Ariminensi cf. LANCELLOTTI, *Hist. Oliv.*, II, 199-205.

(2) « Tusciae historia » Bargensis, XI foliis chartaceis nostri codicis, continetur.

Ex titulo huius operis fortasse aliqui decepti (cf. BELFORTI, *Chronol. Brev.*, p. 4; THOMAS, *L'Abb. de Mont-Olivet-M.*, p. 83), Bargensem et « Russiae Geographiam » scripsisse tradunt. Immo ipse THOMAS, et *Russiae Geographiam* et librum *De Magistratibus*, typis jam impressa, asseverare non dubitat.

suum inscripsisse, sicuti de alio libello, superius memorato, « de historia Tusciae », fecisse jam innuimus. Hic vocatur ab auctore nostro « dilectissimus in Christo filius », in civitate Patavina philosophiam legens. Qui vero, non Olivetano ordini, sed Camaldulensi, nomen dedisse, ex verbis ipsius Bargensis, ubi de sancto viro Romualdo, Camaldulensium patre, loquens, ait: « nec non et sanctum Romualdum *tuum* » (1), facile crediderim. Qui insuper Johannes, « famosissimus doctor regens Bononiae », apud Annales Camaldulenses appellatur (2). Hic familiaritate magna Bargensi nostro coniuctus fuit. Praeterea, et rogatu « domni Johannis Pratensis, doctoris eximii », qui civilia jura in civitate Patavina docebat, amici sui, « Chronicon » composuisse Bargensis affirmat.

Sed, quonam tempore « Chronicon » scriptum sit, videamus.

Quo tempore scriptum.

« Chronicon » legenti, facile constat, Bargensem de sancto viro Bernardino Senensi loquutum, hisce verbis: « Sanctus enim Bernardinus, qui mihi magne familiaritatis et amicitie vinculo coniunctus fuit » (3). Ex quo eruitur, chronologum nostrum, post mortem (20 maii 1444), immo post magni viri sodalisque Canonizationem (24 maii 1450), scripsisse (4). Quod, ne arbitrarium aliquis putet, aliud proferam argumentum. Nam Bargensis, de quodam monacho loquitur, Bartholomaeus nomine, patria Mantuanus, qui cum ante analogium in choro cum aliis cantaret, cecidit in terra, non infirmitatis causa, sed potius lapsitudinis, addens: « Bartolomeus de Man-

(1) A. Bargensis, *Chronicon*, p. 11.
(2) Mittarelli-Costadoni, *Annal. Camald.*, VII, 301.
(3) A. Bargensis, *Chronicon*, p. 20.
(4) Cf. Thureau-Dangin, *S. Bernardino da Siena*, Siena, Tip. S. Bernardino, 1897, p. 357.

tua, vir bonus, qui *nuper* in Christo defuit » (1). Si « nuper » Bartholomaeus e vivis excesserat, quum Bargensis haec scribebat, certo certius, paulo post ejus mortem, vel etiam eodem anno, quo Bartholomaeus obierat, et haec Bargensem chartis tradidisse dicendum est. Obiit autem Bartholomaeus anno 1450, uti habetur in Necrologio Olivetano (2): ex quo sane, post mensem maium huius anni, Bargensem scripsisse constat. Quod satis superque probatum videtur. Attamen hoc unum addam; Bargensis « Chronicon » ultimo loco mentionem de anno Jubilari per Nicolaum V, anno 1450, promulgato, facere, et librum « de historia Tusciae », qui anno praeterito in prologo ad « Chronicon » scriptus dicitur, anno 1449 compositum fuisse (3).

Bargensis ergo « Chronicon » suum, ultimis mensis maii diebus anni 1450 scribere cœpit, quod, nonnisi post mensem maium, anno 1451, completum fuisse existimo. Nam quartus annus abbatiatus Nicolai de Regio, qui, ultimus in serie abbatum chronologica habetur, die 16 maii, quae erat Dominica III post Pascha, anno 1451, complebatur (4). Sed de hoc satis.

XV. — De auctoritate vero, qua apud nostros « Chronicon » Bargensis pollet, pauca addere velim. Nam et ipsa prologi verba satis innuere, quanti momenti istud

De auctoritate « Chronicon »

(1) A. Bargensis, *Chronicon*, p. 25.
(2) Necrol. Olivet., *ad annuum.*
(3) Cf. supra, p. XLIII.
(4) A. Bargensis, *Chronicon*, p. 60.
Hic lectorem monitum velim perperam et contra historicam veritatem *Annales Camaldulenses* (Tom. V, 307) haec habere: « Ante hos [auctores Olivetanos] abbas Antonius Bargensis anno 1476 in suis historiis mss. dicatis *Jacobo de Carpo* ejusdem ordinis generali abbati, quae olim servabatur in bibliotheca abbatis Constantini Cajetani... » etc. Nam cum Bargen-

apud nostros. « Chronicon » faciendum sit, compertum est apud omnes. Ita enim de seipso loquitur: « Nam quae scripsimus, partim ex archivii Montis Oliveti excepimus, partim ab antiquis audivimus patribus, alia oculis nostris perspesimus » (1).

Quod tamen non ita stricte accipiendum et intelligendum existimo, ac si omnia quae ab ipso tradantur, veriora auroque puriora esse aliquis, primo intuitu, putet. Bargensis enim dum brevis esse laborat, obscurus interim fit. Immo lectores monitos velim, ne hanc Antonii Bargensis opellam, dissertam Ordinis Olivetani completamque undecumque historiam esse autument: dum, e contra, nonnisi brevis incompletaque de principio et origine ordinis nostri enarratio, sicuti inscribitur, censenda sit. Quo tandem aliquando evenit, ut nonnulla sobrie paucisque verbis exponantur, nonnulla omnino ex integro silentio praetereantur: alia vero obiter tantum dicta reperiantur; plura denique fere simplici tactu, hac illac, sub velamine, menti legentium innuantur. Ipse enim Auctor, primis ordinis temporibus vitam agens, quum omnium illustrium virorum facta, florenti adhuc memoria, alta in mente reposita et sub omnium oculis continuo essent, pene supervacaneum fore duxit, prae manibus omnia et singula terere, scriptoque tradere quae omnes procul dubio sciebant, immo diuturna animi perfectione imitabantur, operabantur.

---

sem fato cessisse anno 1452, certum sit; non potuisse anno 1476 Jacobo de Carpo historiam suam, seu *Chronicon* inscribere, confiteamur necesse est. Bargensis autem, uti constat ex ipsius prologo, non Jacobo de Carpo, sed Johanni de Marcha Nova, jam nobis noto, in urbe patavina doctori philosopho, sodali Camaldulensi, *Chronicon* suum dicasse compertum est.

(1) Cf. A. Bargensis, p. 4.

Hoc vero monendum duxi, ne quis, de quibusdam rebus, veris interdum, nobisque a Chronicis unius alteriusve aetatis traditis, vel per fidedignam traditionem ad nos usque relatis, ex silentio Bargensis, contra existentiam rei vel facti cuiuslibet, haud difficulter argumentum sumere praesumat, animoseque contendat. Quamobrem, si quae ab auctore posterioris aetatis referuntur, contra ea, quae a nostro, primo expertissimoque rerum nostrarum scriptore, diffuse enarrantur, esse manifestum sit; tunc certo certius Chronologi nostri auctoritatem pluris faciendam esse existimo; et quae ab ipso traduntur, magis quam alia, credenda arbitror. Quod, si quae a posterioris aetatis auctoribus, enarrantur, a nostro sub silentio praetermissa sint; tunc unum alterum complere facile concedam.

XVI. — Quanti vero hoc Bargensis « Chronicon » fecerint Olivetani scriptores, qui post ipsum, ubique locorum de rebus nostris aliquid vel praelo miserunt, vel chartis nondum in lucem editis, tradiderunt, haud difficulter animo percipitur. Ipse enim Bargensis, quum primus de rebus nostris scripserit, ab omnibus, ut ita dicam, direptus fuit. **Quanti fecerint Olivetani scriptores.**

Hinc, in Vita B. Bernardi Ptolomaei, protoparentis nostri, collectore anonymo, a Sociis Bollandianis (1) edita, perplura Bargensis verba referuntur (2): hinc, D. Michael Angelus Bonhavertius († 1610) ab auctore nostro fere omnia sumpsit (3); abbas Secundus Lancellottus († 1642) antiqui huiusce chronologi auctoritatem testa-

(1) BOLLAND., *Acta SS.*, Augusti tom. IV [die XXI aug.], Venetiis, MDCCLII, p. 475 seqq.

(2) BOLLAND., *op. cit.*, p. 486, 487.

(3) BONHAVERTI, *Il miracoloso principio de la Congregatione di S. Maria di Montoliveto*, Ferrara, MDCV, *passim*.

tur, veneraturque (1); Paulus Carpenterius († 1642) (2), Petrus Marcellinus Oraffius († 1660) (3), Michael Angelus Belfortius (4), Alexander Bossius (5), Cherubinus

---

(1) LANCELLOTTI, *Histor. Oliv.*, I, 13, 42.

(2) *B. Bernardi Ptolomaei Congregationis S. Mariae Montis Oliveti conditoris Vitae Libri quinque*, auctore D. PAULO CARPENTERIO Neapol. Monasterii Montis Oliveti de Neapoli abbate, Neap., apud Camillum Cavallum, 1642.

(3) ORAFFI, *Vita del B. Bernardo Tolomei,* in Venetia, per Giunti e Baba, MDCL, pp. 227, 232.

(4) BELFORTI, *Chronologia Brevis Cœnobiorum ... Congreg. Montis Oliveti*, Mediolani, MDCCXX.

(5) BOSSI, *Della vita del B. Bernardo Tolomei*, Bologna, 1746. Hoc Alexandri Bossii opus magnis laudibus extulit vel ipsa ephemeris Johannis Lamii, cui titulus *Le Novelle Letterarie*, ex qua haec ultima verba referre placet: « Se tutte le vite di coloro, cui venera la Chiesa sugli altari, fossero scritte com' è la presente, non avrebbero occasione alcuna gli eretici di deriderci quai poco esatti in riferire, o troppo facili in credere, alcune mirabili azioni de' Santi: poichè tutto è appoggiato a valevolissime testimonianze. Evita poi anche il saggio autore lo scoglio, in cui si dicono caduti alcuni moderni, che nel descrivere le vite dei Santi nulla o poco vi pongono ch' ecciti a devozione: poichè questa nel tempo stesso ch' è elegantissima, è insiememente tutta sparsa di stimoli alla pietà e religiosa osservanza. » *Le Novelle Letterarie pubblicate in Firenze l'anno MDCCXLVI*, tom. VII, Stamperia della SS. Annunziata, coll. 421, 422.

Sed anno sequenti, quidam anonymus acerbe scripsit in eadem ephemeride de hoc Bossii opere, auctorem eiusque opus fortiter verberans. Cf. *Le Novelle Letterarie*, MDCCXLVII, tom. VIII, coll. 115-119; 133-135; 147-150.

Erudite docteque acerbo critico respondit cl. abbas D. Cherubinus Besozzius, opere, cui titulus: *Riflessioni sopra le Novelle dell'abate Lami, intorno alla vita del B. Bernardo composta dal P. D. Alessandro Bossi.* Sed hucusque nondum typis datum est, opus luce diei maxime dignum. Attamen multa ex ipso hausit cl. Bernardus Maréchaux (*Vie du B. Bernard Toloméi*, Florence, 1888, p. 275-284; Siena, 1890, p. 279-286), et apud ipsum videri possunt.

Besozzius († 1771) (1), Petrus Rosinius († 1807) (2), Gregorius Thomas († 1892) (3), et nuper hisce diebus cl. Bernardus M. Maréchaux (4), prae manibus nostrum « Chronicon » habuere, tantique fecerunt, ut fere omnia ab ipso excerpere non dubitaverint.

Ex quo etiam, satis superque notum fit, qua de causa, in hoc « Spicilegii Montolivetensis » primo volumine, Bargensis « Chronicon », typis mandare mens fuerit: ut scilicet primo loco fundamentum totius historici aedificii nostri positum esset, omnibusque facile pateret.

De forma «Chronicon» litteraria.

XVII. — Nunc vero, quae de forma nostri « Chronicon » litteraria, dicenda supersunt, paucis expediam. Devotus scriptor, monachus et abbas illius ordinis, de quo scripturus erat, dum opus suum, precibus Johannis de Marcha Nova, Johannisque Pratensis annuens, componere statuerat, quaecumque jam mente teneret, congestim, sine ordine, saltem chronologico, aperte patenti, absque studio litteris tradidit. Quo fit, ut hac illac, quae prius dicenda forent, sequenti loco habeantur: et quae, optima quadam latinitate dici poterant, rudiori calamo styloque scripta sint, et oratione fere ignobili nobis pateant. Eruditionem scripturarum ubique adamavit, praecipue in explicandis mystice supernis eventis, verbis etiam saepenumero, novitatem quamdam et af-

(1) In multis operibus manu adhuc scriptis.

(2) In operibus manu scriptis. Cf. P. Fedele, *Tabularium S. Mariae Novae ab an. 982 ad an. 1200* in *Archivio della R. Società Romana di Storia Patria*, vol. XXIII, 1900, p. 173 seqq.

(3) Thomas, *L'Abbaye de Mont-Olivet-Majeur*, Sienne, 1898, p. 83.

(4) Maréchaux, *Vie du P. Bernard Toloméi*, Paris-Florence, 1888; *Bulletin de N. D. de la Sainte-Espérance à Mesnil-Saint-Loup*, XIX année, n. 2, Février 1895, p. 26 seqq.

fectatam rerum notitiam prae se ferentibus, utens (1).

Seriem abbatum generalium chronologicam texuit, majori ordine ac diligentia, sed eodem sermone styloque.

Si formam ergo nostri « Chronicon » litterariam spectes, neque latinum, neque vulgarem habes eloquium; saepe utique eruditum, numquam ornatum, vel elegantia conditum : si vero historicam rerum veritatem quaeras ipsam quidem invenies, multarum rerum sed non omnium, congeriem indigitantem, raroque ordine quodam expositam.

Quod judicium aequum esse cuilibet « Chronicon » Antonii Bargensis legenti, facile patebit.

---

(1) Exemplo sint haec duo verba : *sinacim* et *iocalia (dona)*. *Sinacis enim*, vel *synaxis* (σύναξις), graeca positione, congregationem, vel locum, in quo congregatio adunatur, significat. Cf. Forcellini-De-Vit, *Totius Latinitatis Lexicon*, Prati, MDCCCLXXI, tom. V, 803, Ita etiam accipitur a Nostro Bargensi, pluribus in locis : cf. *Chronicon*, p. 17, 24, etc.

Quid autem per *iocalia* (cf. *Chronicon*, p. 58) apud nostrum auctorem intelligatur, habemus ex quodam loco Benvenuti Imolensis, in Commentariis super Dantis Comœdiam (Inf., XXIV, 137). Ibi enim de quodam Vanne dicitur quod « vi et fraude intravit Sacristiam dictae Ecclesiae, et illam spoliavit *pretiosis iocalibus* ». Et iterum de eadem re habetur : « Tamen, quia factum erat, portaverunt *iocalia* ipsa ad domum illius ser Vannis notarii etc. ». Cf. Muratori, *Antiquitates Ital. Medii Aevi*, I, 1096 ; *Bullettino Storico Pistoiese*, III, 1901, fasc. 2, p. 52.

Ex quo jam colligitur quonam sensu Bargensis noster de quodam Francisco scripserit : « et alia *iocalia* sacristie in presentiarum donavit. » *Chronicon*, p. 58.

Haec quoque monenda erant, ut, quantum in nobis est, omnibus facile esset, de operibus Antonii Bargensis, aequum ferre judicium; ne ipse immerito lapidaretur, et nos, contra mentem nostram, de incuria haud difficulter reprehendere cuique fas esset.

Vita ergo Bargensis, verà, de loco ad locum, usque ad requiem, peregrinatio: « Chronicon » ipsius, mediocre suae aetatis opus: hoc munus; hic auctor: his utere et vale (1).

---

(1) Quaedam heic de codice nostro addere placet.

A quibusnam nobis pervenerit, certo nescimus: fuit tamen semper in Cancellaria Montis Oliveti Majoris. Omnes rerum nostrarum scriptores, prae manibus illum habuere, praecipue Lancellottus, Thomas et Maréchaux. Ipse autem codex, partim chartaceus, partimque membranaceus, non autographus, sed apographus, paulo post medium saeculum XV, confectus videtur. Ad hanc aetatem certo referenda est, ea pars, « Chronicon » Bargensis continens. Cujus quidem operis duo in eodem codice habentur textus, quibus continuo, in editione nostra curanda, usi sumus. Qui forte ejusdem aetatis censendi sunt. Quorum unus, initio codicis habetur, per 32 folia hinc inde enumerata; alter autem in medio ejusdem, item per 32 folia, sed nullo numero signata. Codex autem non magnae dimensionis (cm. 21 × 15), pelle coopertus, haec in dorso, auro impressa, habet: « HISTO[ria] | OLIVE[tana] | ET ALIA ».

Posterioris autem saeculi XVI, Codex noster, duo elogia continet, virorum illustrium, Nicolai nempe de Valoribus († 1528), et Pallae de Strociis († 1462).

ANTONII BARGENSIS

CHRONICON MONTIS OLIVETI



PROLOGUS AUCTORIS IN CHRONICON

Antonius B[argensis] M[onachus] (*a*) Dilectissimo in Christo filio Johanni de Marcha Nova (1), salutem. In preterito | quidem anno, dum una cum abbate nostro in partes Veneto | rum, visendi causa venissem, tibi a me in provincia Flami | nie compositum detuli librum (2), in quo quidem longitudinem lati | tudinemque Tuscie, et unde Tusci originem traxerint, quales | ve (*b*) habeantur in moribus, bella eorum, qua de causa appellentur | Tusci, nec non et cerimonias ipsorum describere curavimus. | Celsitudini namque tue, domnique Johannis Pratensis doctoris eximii, a me | inscio imperitoque editum opus gratum extitit. Et hoc, ut bene nosti, | accidit in civitate Patavina (*c*). Ubi tu ipse legis philosophiam, et | ille iura civilia docet. Insuper ambo quesistis (*d*) a me, unde qualeque | ordinis nostri fuerit principium, quod plures patres et fratres

Fol. 1.

Johanni de Marcha Nova Chronicon dicatur.

(*a*) In textu B habentur verba haec: *Incipiunt cronice abreviate ordinis montis Oliveti* | *Antonius Bragensi monachus ordinis montis oliveti* | *dilectissimo etc.* — (*b*) Text. B: *vel habeantur.* — (*c*) Text. B: *paduana.* — (*d*) Text. B: *quesitis.*

(1) Quisnam fuerit iste vir, cui dirigitur a Bargensi prologus chronicae, jam superius diximus, p. XLIV.

(2) Etiam de hoc Bargensis opere jam egimus supra p. XLII.

eiusdem ordinis scire | curarunt. Modo itaque a visitandi officio dimissus, reversusque ad dilec | tam solitudinem pratensem, tibi aliisque amicis, quam alma nostra re | ligio, habuit originem, quisve huius primus extitit fundator, quosque | ei socios ad tanti exercitii (*a*) opus incoandum, divina concesserit af | flatio, intimare censuimus. Habuerunt autem prelibati viri mirificam visio | nem, quam minime obmittere volumus. Vestiti quoque sunt | alba indumenta ab Aretino episcopo, quia ad ipsius dyocesim pertinet | locus, in quo primum construxerunt monasterium, ut inferius | patebit. Quisque illo in tempore summus ecclesiam pontifex rexerit, et a quo pontifice noster ordo fuerit confirmatus, scripsimus; ac etiam qualiter, nunc ad perpetuam rei memoriam vivat, ostendimus. Omnes quippe singillatim narrabo abbates, usque ad tempora nostra, cum aliquibus eorum notabilibus. Nam, que scripsimus (1), partim ex archiviis montis | oliveti excepimus, partim ab antiquis audivimus patribus: alia o | culis nostris perspeximus. Et quidem, si vita nobis comes fuerit, a | lio in libro (2), viros, quos ordo noster vegetavit, enarrabimus illustres, | et miracula ab ipsis facta, atque libros, quos sagaciter ediderunt. | Vale feliciter (*b*).

Methodus Auctoris.

Fol. 1ᵛ.

Explicit epistola vel prologus (*c*).

(*a*) Text. A, B: *exercitiis.* — (*b*) Text. B: *Vale feliciter, feliciter vale.* — (*c*) Text. B: *Explicit prologus.*

(1) Bene perpendat lector, quibusnam ex fontibus, sua hausisse dicat Bargensis noster, ut recte judicare possit quanti facienda sint quae ipse in medio profert.

(2) Utrum autem Bargensis hoc opus, vita comite, scripserit, necne, nos penitus latet. Certe in codice, ex quo « Chronicon » deprompsimus, non habemus.

CHRONICON.

Incipit liber, sive nar | rationis sermo, de incrementis ordinis Montis Oliveti, editus a fratre Antonio Ba[*r*]*gensi* (*a*), *eiusdem* [*ordinis*] *professo.*

Igitur in Tuscie provincia, civitate Se | nensi (*b*), quidam fuit vir, Bernardus nomine, nobilis vita, | set moribus longe nobilior, quondam domni Mini de Tolo | meis filius, nimirum miles atque doctor eximius (1). Qui, di | vino afflatus spiritu, vehementique fervore tactus intrinsecus, una | cum nobilibus amicis suis, Patritio videlicet de Patritiis, Francisco Am | brosioque (2), Senensibus, die ac nocte conver-

Bernardus de Ptolomaeis

(*a*) Text. B: *Bragensi.* — (*b*) Text. B: *Senarum.*

(1) Quae, hic, apud nostrum auctorem, de vita Bernardi dicuntur, complentur ab iis qui, post eum, fusiori calamo, de rebus nostris scripserunt. Consulat lector quae de fundatore nostro scripsit ediditque Guilielmus Cuperus (*Acta Sanctorum*, Augusti tom. IV, Venetiis, MDCCLII, pag. 464-487), quaeque noster Bernardus M. Maréchaux (*Vie du Bien. Bernard Toloméi*, Paris-Florence, 1888) nuper diligentia summa prœlo mandavit. Hic tamen moneo, certum esse fundatori nostro in fonte baptismatis Joannis nomen impositum fuisse, certumque, post conversionem suam ad Deum, nomine Doctoris melliflui, devotionis causa, vocatum; dubium solummodo esse quando hoc ultimum nomen sumpserit. In monumentis vero Archivi nostri, lucide apparet fundatorem nostrum a tempore sui abbatiatus Bernardi nomine decoratum.

(2) Ambrosium de Picolomineis, duplici insignitum nomine constat; Ambrosio nempe et Francisco. Franciscus enim Picolomineus vocitatur etiam in *Vita B. Petri Petronii Cartusiani.* Cf. Bolland., *Acta SS.* [die 29 maii], Venetiis, 1739, Maii VI, [cap. I, 5], 545.

et alii Senenses in Acona secedunt.

sans, anhelabat (*a*) ad celesti | a. Et se simul a nugis secularibus alienantes, Deo tonanti servi | re satagebant. Set quoniam multa, a concivibus suis, hec fide | liter operantes, patiebantur impedimenta, secesserunt (*b*) ad loca solita | ria cogitantes, non esse tutum cohabitare serpenti (1). Quippe, nobilis | Bernardus, pulc[h]errimum possidebat agrum, in agro Senensi, | Aretine nimirum dyocesis, qui circiter quindecim milia ab urbe | situs est, in quodam villa parvissima, [vulgo] dicta Acona. In qua qui | dem terreum fundaverat palatium, quod ad presens extat. Anno | itaque, ab incarnati Verbi nativitate, mi[l]lesimo trecentesimo tertio | decimo (2), prefati a deo dilecti viri ad predictum locum venerunt, cum | utensilibus (*c*) suis et libris, ut Deo sedulum exhiberent servitium. Labo | rabant quoque, secundum apostoli exemplum, manibus suis, ut, ex opere | manuali, victum sibi necessarium acquirerent. Etenim non sufficie | bat eis, utpote viris delicatis, noviterque ex Egipto egressis; tum | ex possessiunculis Bernardi prefati, tum ex exercitio manuali, | sufficientem sibi necessitatem carpebant. Non multo vero inter | iecto tempore, abiecerunt vestimenta secularia, induentes se honestiorem habitum; deponentes etiam caligas, calciati sunt calepodiis; sicque paupertatem ultro amplecti nitebantur. In oratione assidui, in silentio maximi, et ad Deo laudes reddendum alacres erant: exercen | tes in quadam capella (3), ut melius poterant, quam ipsi construxerant,

Fol. 2.

Eorum ratio vivendi.

(*a*) Text. A: *anhelabant.* — (*b*) Text. B: *sederunt.* — (*c*) Text. B: *utensibillibus.*

(1) Superius enarrata ab auctore nostro, fusius exponuntur in *Chron. Cancell.*, fol. 2, seqq.

(2) Ita omnes qui postea de B. Bernardi conversione scripserunt. Cf. *Chron. Cancell.*, fol. 4; Lancellotti, *Historiae Olivetanae*, Venetiis, 1623, p. 5; etc.

(3) Putatur fuisse oratorium S. Scholasticae dicatum. Nam et ipse Michael Angelus Bonhavertius ita scribit: « ... si con-

cultum divinum. Ipse namque Deo carus Bernardus, vir non me | diocriter eruditus fuit, cuius epistole spirituali literalique scientia re | dolentes, adhuc in illo monasterio reservantur (1). Nam in dicta | capella, quam ipsi nos oculis propriis aspeximus, a cognitis | devotisque presbiteris divina sibi celebrare faciebat (*a*) misteria. | Quorum devotioni multi Tusci, nobiles ac ignobiles, eorumque | iam ubique divulgabatur fama comperta, relictisque omnibus que ad huius | seculi volumptatem pertinent, adaucti sunt,

B. Bernardi eiusque Sociorum fama divulgatur.

(*a*) Text. A: *faciebant.*

dussero in questo luogo, il quale alhora era pieno di selve, e abitato da molte fiere: solo una povera casuccia fatta di terra si ritrovava quà nel mezzo, con un poco di piazza dove di propria mano fabricarono pure di terra un piccolo tempietto, apunto là dove mi ritrovaste al vostro arrivo, ma poi rifatto ne la guisa, ch' hor avete veduto, si chiama al presente l' *oratorio di S. Scolastica*, e quivi si riducevano giorno e notte a celebrare l' hore canoniche ... » (*Il miracoloso* | *principio* | *de la Congregatione* | *di S. Maria di Montoliveto* | *descritto in dialogo dal R. P. D. Michelagnolo* | *[Bonhaverti]* | *da Ferrara* | *dove si espongono i geroglifi divini e gli misterii* | *sacri d' intorno l' imprese di essa* | *Congregatione* | — In Ferrara, MDCV, per Vittorio Baldini | Stampatore Camerale). Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, p. 5, et opus manuscriptum, cui titulus: *Memorie istoriche del sagro eremo di Mont'Uliveto maggiore, raccolte e ordinate dal R.mo P.re D. Cherubino Besozzi Ab.te di S. Vittore di Milano e dopo eletto Vicario Gn̄le Ulivetano*, p. 20 seqq.

Haec autem cappella anno 1513 decorabatur picturis « a chiaro oscuro » per fratrem nostrum Antonium, conversum, de quo mentionem facit Vasarius (in editione Bononiensi sui operis *Le Vite dei più eccellenti pittori, scultori e architetti*, 1663, par. 3, vol. II, p. 8).

(1) Antiquissima traditio ad B. Patrem Bernardum adscribit quasdam epistolas, quas oculis nostris etiam nunc conspicimus. Codex vero antiquior, has epistolas continens, adservatur in archivo S. Mariae Novae de Urbe, et mihi videtur exaratus sub fine saeculi XIV. Quam primum harum epistolarum seriem typis mandare curabimus.

Apostolicae Sedis Logatus in Etruria, eos cognoscit.

arduam vitam imita | ri studentes. Porro cum per Johan[n]em summum archima[n]dritam, inqui | sitio legaretur, ne cui liceret gregatim, sub religioso habitu, | degere, absque solempni probatoque voto, deventum est ad partes Se | narum, ubi cognitum est quosdam latere nobiles genere, set fide et | sanctimonia nobiliores, prefatu[m] videlicet Bernardu[m] cum sociis. Quos | intuitus, talis inquisitor veneratus est, benigne [h]ortans eosdem | parere iussioni cat[h]olici principis. Qui predicti patres quantocius Are | tinum secum consulunt episcopum, quid facto opus sit. At ille congratulans | votis ait: Postquam seculo terga dedistis, nulla pio desiderio | aptior, nulla sanctior, probatiorque norma censetur quam patris almi | regula Benedicti, discretione precipua ac (*a*) sermone luculenta. Et cum | vestri concives titulo Virginis insigniti glorientur, ob gloriose | matris mundissimam virginitatem, monachali placeat indui | candido habitu, ut puritati, qua secretius fruimini, in exte | riori quoque gestu exhibeatis. Eosque solemniter induens ac sacram | tradens regulam, per suos mandavit nuntios, primum apud Montem Olive | ti fundari lapidem ecclesie construende, per publicumque notarium con | fici instrumentum. Sed bone memorie prelibatus Bernardus, paulo | ante, dum in quodam consistens orasset loco, ubi nunc sita est ecclesia, | viderat, Deo sibi revelante, scalam (*b*) argenteam, tendentem ad orien | tem, tangentemque celum. In cuius summitate (*c*) dominus Jesus cum beata Maria, eius genitrice, visus est stare, candida quidem vestiti indumen | ta: Beata vero Maria stellam mire pulchritudinis videbatur gestare | in pectore. Multitudo autem fratrum erant ascendentes, et angeli | descendentes: omnes tamen induti vestibus albis. At ille hec videns, | extemplo ad se vocavit fratres, atque ostendit eis visionem; qui | hec

Ipsi Aretinum consulunt Episcopum qui eos alloquitur.

Fol. 2'.

Visio scalae.

(*a*) Text. B: *Atque.* — (*b*) Text. B: *Stollam.*— (*c*) Text. B: *extremitate.*

videntes glorificaverunt Deum (1). Non est dubium quin ipsa | fuerit magnum futurorum presagium. Multi quippe, ut postea | res innotuit, erant per eandem celum ascensuri. Per angelos Dei, adiutorium | quod per eosdem crebro fit, non incongrue accipi potest: per scalam vero, | vite inno- Praesagium.

(1) Omnes conveniunt historici nostri de hac scalae visione. Addit insuper *Chron. Cancell.* : « Cujus tamen mysterium revelationis homo Dei [Bernardus] tunc plene non intellexit: donec per se ipsam regina coeli ex parte, quid videlicet albae vestes significarent, in traditione habitus postmodum est dignata revelare. Post sanctam autem beati patris dormitionem, annis multis decursis, quid praemonstratae visionis residuum declarandum fuerat (largiente Deo) impletum videmus. Nam mutatis secundae ecclesiae, de qua tamen infra dicetur, aedificiis, oratorium magnum iuxta illam in honorem sanctae Dei Genitricis miro opere constructum, et in hodiernum usque diem consistente ipsimet cernimus. Ubi vero scala illa ostensa est, chorus, psallentium monachorum consistit, iuxta quem ob reverentiam sancti Michaelis Archangelorum principis altare, intra ipsam ecclesiam, ubi ipse beatus pater genuflexus orabat, erectum et dedicatum scimus. In qua profecto ecclesia divini cultus celeberrimum Deo et cœlesti curiae exhibetur obsequium... ». Fol. 5. — Quae omnia breviter refert etiam Michael Angelus Bonhavertius (*op. cit.*), addens visionem scalae etiam « pronosticasse questo nostro tempio maggiore che vedete, dove si celebra, e si officia giorno e notte, perchè la scala apparve apunto dove hora è il choro del Tempio, e il sant' huomo stava in ginocchioni dov' è l' altare di S. Michele dietro a detto choro, che perciò fu fatto da i nostri padri in memoria di quell' angelica apparitione... ». Quod altare Archangelo Michaeli dicatum, ablatum est a loco suo, anno circiter 1620, tempore D. Prothasii de Natalibus a Venetiis, curâ Vicarii Gen. D. Cypriani Pinti, quando ecclesia abbatialis Montis Oliveti redacta est in formam ampliorem. Lancellottus noster, qui historiam suam anno 1623 edidit, silet de altari, hoc tantum aiens: « ubi enim scalae species visa est, ibi odeum consecratum est » (p. 6). Cf. Besozzi, *op. ms. cit.*, p. 32; D. Grégoire Thomas, *L'Abbaye de Mont-Olivet-Majeur*, Sienne, 1898, pp. 110, 124, 137.

centiam, et pulcre: cum enim in hoc mundo sancte vivimus, quid | aliud presens vita nobis est, nisi quedam scala, per quam celum ascen | dimus? Unde dominus in summitate scale visus est stare, aperte osten | dens, quod semper pro regno celorum, pugnantes, paratus sit adiuvare. | Stare namque, certantis vel adiuvantis est. Nam certantes, alterius | iugiter egent auxilio. Post hec, inito consilio, statuere albi co | loris suscipere habitum: quod et fecerunt. Per albedinem congrue puri | tatem solet designari: attestante Salomone et dicente: omni tempore vesti | menta tua sint candida. (1). Unde et Johannes, in apochalipsi, inquit: | Vidi viginti quatuor seniores circumami[c]tos stolis albis (2), per | quos, ut dicit Richardus, novi veterisque testamenti patres, et | gloriam triumfantis ac militantis ecclesie designantur. Iterum, dum duo | decim milia signatos describeret, ait: qui omnes amicti erant sto | lis albis, et palme in manibus eorum (3). Quid enim per stolas albas, nisi munditia mentis exprimitur [?]. Palme vero dantur hiis, qui de prelio domum | redeunt victores. Atqui, qui de hoc exilii certamine, domum, idest | paradisum, victores redeuntes exierunt, a Domino, palmas eterne | victorie, recipere meruerunt; quia militia est vita hominis super | terram (4). De quibus Dominus dixit: Qui vicerit sic vestietur (5). Et alibi: | Ambulabunt mecum in vestibus albis quia digni sunt (6). Et quidem, ad huius rei fidem astruendam, angeli qui venerant dominicam resur | rectionem et ascensionem nuntiaturi, in albis visi sunt assistere | atque sedere. In transfiguratione quoque Domini, vestimenta eius facta sunt | velut nix. Unde, quidam per omnia venerabilis poeta, nomine Colu |

De albo coloro.

Fol. 3.

(1) Eccle., IX, 8.
(2) Apoc., IV, 4.
(3) Apoc., VII, 9.
(4) Job., VII, 1.
(5) Apoc., III, 5.
(6) Apoc., III, 4.

cius Salutatus, in secundo libro, qui de seculo et religione inscri | bitur, ad Camaldulenses destinato, ait: Cogita tecum has pu | ras vestes: magno te astringere vinculo puritatis: quas mecum | sepe considerans, admiror sanctissimum illum patrem, Virginisque | Marie devotum Bernardum, nec non et sanctum Romualdum | tuum, divina revelatione vidisse albis indutos vestibus, scalas | ascendere paradisi. Aptissimus quidem color albus religioni | videtur; qui semper nos a[d]monet, quam immaculate, quamque devote, vite | nostre sint tempora transigenda. Attamem color niger magni in se re | tinet vim misterii; penitentie enim luctum, nostrive merorem exi | lii, nec non humilitatis, abiectionisque statum prefigurat (1). Set maius | aliquid continet color albus: nam presentis vite pariter, et futu | re claritatem representat. Ideoque in primitiva ecclesia, omnes no | viter baptizati, induebantur vestibus albis. At vero, quia ab incepto | paululum digressi sumus, tempus est, ut ad narrationis ordinem, | revertamur. Post vero non multum temporis, homines Dei ad prefatum A | retine civitatis episcopum revertentes, ab eo honorifice suscepti sunt; indicantesque ei sui adventus causam, efflagitant suppliciter, ut ad | perfectionis recipiat solempne votum. Qui libenter pio annuens | desiderio, more solempni in cathedrali ecclesia celebravit miste | ria Salvatoris, et hiis expletis ad se acersiri fecit quemdam Johannem | abbatem de Saxo, aretine diocesis, sub cuius vice, eosdem iu | bet profiteri; anno videlicet a Verbi missi incarnatione, millesimo | trecentessimo decimonono, die vigessima sexta mensis mar | tii, indictione secunda. Tamen multi ferunt, hoc quod dictum est, | in ecclesia sanctissime Trinitatis factum fuisse,

De nigro.

Fol. 3'.

Iterum ad episcopum Aretinum se conferunt ab eoque Deo dedicantur.

---

(1) Hoc loco habetur, in duobus textibus hujus *Chron.*, notula rubro atramento scripta: « Hic distinguitur quanto color albus multo plus supereminet colori nigro per comparationem ».

que extra muros sita | manet (1). Illo vero tempore Ecclesie preerat domnus Johannes papa vigesimus | secundus. Episcopus autem prelibatus, hoc fungebatur nomine, scilicet,

(1) Jam superius auctor noster egerat de vestitione trium fundatorum facta ab episcopo aretino, inquiens : « eosque solemniter induens ac sacram tradens regulam », nunc vero agi videtur de eorum solemni professione. Quae facta, si distincta maneant intercapedine temporis, probabiliter fuerunt vel locorum positione, ubi peracta enarrantur. Nam vel vestitio in cathedrali ecclesia Aretina, ab episcopo facta fuit; professio vero in ecclesia SS. Trinitatis, inter manus Johannis de Saxo, emittebatur; vel professio in Cathedrali et vestitio in sacra aede Trinitatis. Ita puto rem solvendam, quae, propter confusionem unius alteriusve auctoris, jam tempore Bargensis, disceptabatur.

Auctor vero *Chron. Cancell.* hoc modo rem in medio affert: « Adveniente post haec optata die, anno a dominica Incarnatione millesimo trecentesimo decimonono, die XXVI[a] mensis martii, a conversione vero eorum anno sexto; convenerunt *ad ecclesiam cathedralem, quae titulo Sancti Martini prœnominata, extra muros civitatis Aretinae modo posita est :* tam Reverendus domnus episcopus cum omni clero et plurima populi multitudine, quam etiam servi Dei Joannes, Patritius et Ambrosius. Ubi celebrata prius devotissime (uti decebat missarum solemnitate, et oblata pro eis salutis nostrae immaculata hostia), venerabilis Pontifex per *manus cuiusdam religiosi viri domni Joannis monachi Abbatiae de Saxo*, Aretinae diocesis, purissimum induit praefatos patres et album habitum ». Fol. 8', 9. — Hic agi videtur de vestitione, et in Cathedrali ecclesia. Attamen Abbas et historicus noster, Secundus Lancellottus (*Histor. Oliv.*, p. 13, 14) non in summa aede Aretina, hodie excisa et extra urbem constituta, titulo Sancti Martini, sed in templo fustigatorum SS. Trinitatis, posito extra muros civitatis Aretinae, patres nostros candida veste decoratos fuisse contendit, viriliterque pugnat. D. Michael Ang. Bonhavertius (*op. cit.*) utramque sententiam conciliare conatur, sed argumentis nullius fere roboris.

Quomodocumque res se habeat, et ab auctoribus pertractata plus minusve viriliter fuerit, certum est, unam alteramve cœremoniam in Aede SS. Trinitatis peractam fuisse : hoc enim

domnus | Guido de petramala, vir magnanimus et reverendus. Igi | tur qui post hec, cum revertentibus patribus nostris ad sue habi | tationis locum, misit dompnum Re-

---

testantur, consuetudines et monumenta de quibus Lancellottus (*loc. cit.*) sermonem tenet.

Attamen ut quaestionibus, quantum in nobis est, fieret satis, interrogandum existimavimus Cl. Johannem Franciscum Gamurrinium, virum in historia vetustiori recentiorique, praesertim aretina peritissimum, qui nostrae petitioni haec benigne respondenda duxit:

" Arezzo, 20 Giugno 1901.

« . . . Ho fatto copiare la notizia della vestizione di Bernardo Tolomei dall' opera inedita, ma stimatissima, di Mons. Falconcini, vescovo di Arezzo, che la scrisse nel 1710 e colla scorta dei documenti, intitolata: *Chronicon Ecclesiae Aretinae* etc. La vestizione avvenne nel 1319 nella Chiesa di S. Trinità, la quale, col suo spedale, era situata « ad pontem *delle Gagliarde* », come si ha da una carta della fine del sec. XIII, ove si aggiunge *Aretii in domo Disciplitorum Trinitatis.* E in un altro atto dell' anno 1319 si legge: « Ecclesia S. Trinitatis extra muros et intra cerchias civitatis Aretii. » E giustamente, perchè in quell' anno, mentre era stata stabilita la nuova cinta, che doveva abbracciare quel sito del ponte sul fiume Castro, (ponte che ritiene il nome *delle Gagliarde*), non vi erano ancora edificate le mura. — Errano certamente le Cronache Olivetane scrivendo: « ad ecclesiam Cathedralem, quae titulo S. Martini praenominata, extra muros civitatis Aretinae posita est. » Perchè era già un secolo (per bolla d' Innocenzo terzo) che la Cattedrale di fuori delle mura era stata trasferita nel colle dentro la città. Errano ancora, perchè la vecchia Cattedrale era intitolata a S. Donato, e mai a S. Martino, e la nuova a S. Pietro, detta S. Pier Maggiore, per distinguerla da un' altra chiesa col titolo stesso. La verità pertanto si è quella, ed indubitata, quale fu riferita nel *Chronicon* del vescovo Falconcini. »

Nunc accipias quaeso, quae tradit ipse Falconcinius, in *Chronicon*, ad annum 1319: « Solemnitatem approbationis Instituti peractam scribit Olivetanus Chronista in Cathedrali, seu ut aiunt in domo S. Martini; verum Tabulae publicae, quae

stauratum, capellanum sancte Tri | nitatis ecclesie Aretine, mandans ei ut ordinaret locum, ubi | construenda

---

in vetusto Archivio Monasterii de Accona seu Montis Oliveti servantur, industria, B. Bernardi Tholomei anno 1344 aucthoritate publica Buosi Episcopi Aretini, et eius delegati Viviani Senensis, plebani S. Agathae de Terra Asciani conscriptae, id in aede SS. Trinitatis flagellatorum extra Moenia civitatis posita, peractum fuisse iurato testimonio ipsius B. Bernardi Abbatis, commemorant, et etiam diebus nostris in eadem ecclesia SS. Trinitatis in praecipua veneratione habemus simulacrum piissimum Reparatoris nostri a cruce pendentis, coram quo Monastico cucullo indutos fuisse B. Bernardum et socios constantissima traditio est. Joannes igitur Camaldulensis Episcopi Guidonis delegatus in oratorio Xenodochii, quod est sub cura et regimine disciplinatium nobilis sodalitii eiusdem nominis, et ad quod humilitatis, et religionis studio diverterant Tholomeus, Patritius, et Piccolomineus, eos candidis vestibus ad gloriosissimae Virginis placitum exornavit, jubente episcopo, etc. » (*Ex Chronico Ecclesiae Aretinae conscripto a* BENEDICTO FALCONCINI, eiusdem ecclesiae episcopo, anno 1710, in vol. II°, anno 1319).

Addebat insuper Cl. Gamurrinius: « La Chiesa dei Disciplinati della SS. Trinità restava allora presso la cerchia delle mura di Arezzo, al ponte detto *delle Gagliarde*, sul fiume Castro; dove sorse lì presso il convento di S. Giusto. Poi la compagnia fu trasferita nella Chiesa che ancora si nomina della SS. Trinità, nella quale sussiste il Crocifisso dinanzi al quale Bernardo Tolomei assunse l' abito e professò i voti della nuova Regola. — G. F. Gamurrini. »

Nunc vero gratias quam plurimas cl. viro agant omnes, quorum interest haec tandem aliquando clarius apparuisse. Sed animadvertat lector, quod, ni fallor, Episcopus Falconcinius prae manibus *Historiam Olivetanam* Abbatis SECUNDI LANCELLOTTI (Venetiis, 1623, I, p. 13, 14) dum scriberet *Chronicon*, habuit, ne episcopo Aretino adscribantur quae jam scripserat Abbas Olivetanus.

Joannes ille, qui, nomine episcopi Aretini Guidonis de Petramala, patrum nostrorum dedicationem accepit, anno 1319, in episcopali diplomate, de hac re confecto per notarium Guadagnum quondam ser Giunte (*Registro Oliv.*, I, doc. I, 6), dicitur

esset ecclesia (1). At ille, ut vir sagax, libenter ac fi | deliter adimplevit preceptum: et tamdiu ibidem moratus est, | quousque ipse manibus suis in fundamento, primum posuit lapi | dem benedictum. De cuius fidei testimonio quidam ser (*a*) Guardinus, | aretinus notarius, qui omnibus hiis interfuit, confecit instrumentum, | cuius copia ad presens invenitur in quadam capsa, ubi reponun | tur privilegia Ordinis. Hec vero ecclesia fundata ac constructa | fuit in loco, ub ad presens sunt sepulcra fratrum, contigua ec | clesie, | que nunc extat, quam nos oculis nostris vidimus, ante | quam destrueretur totaliter (2). Nunc igitur locum si placet descri | bamus. Est enim valde nemorosus, et magnis in giro cir | cumdatus rupibus ac precipitiis, ad quem non est accessus | nisi a parte superiori; quia ibi situm est palatium, quod velut | in arcem habetur. Et nemo potest predictum locum ingredi, nisi tran | seat per hoc palatium: in quo quidem promptuarium extat non parve

Fol. 4.

Ecclesia Montis Oliveti.

Montis Oliveti descriptio.

(*a*) Test. B: *Bernardinus*.

« monachus abbatie de Sasso, nunc in Cathedrali nostra residens » et in margine *Chron. Cancell.*, de ipso legitur scriptum, manu recenti: « Iste monachus, erat eiusdem episcopi vicarius generalis, uti habetur ex scriptura authentica in Archivio Montis Oliveti. ». Fol. 9.

De ipso et de aliis quaestionibus hic obiter pertractatis, conferas etiam Mittarelli-Costadoni, *Annales Camaldulenses*, V, 306-310.

(1) Episcopale diploma (*Reg. Oliv.*, I, doc. I, 6) testatur hanc auctoritatem a Guidone commissam « presbitero Restauro, dudum capellano ecclesie de Morello, apud domum fraternitatis sancte Trinitatis de Aretio commoranti ».

(2) Iam egit auctor, et nos adnotavimus, primum Montis Oliveti oratorium, fuisse S. Scholasticae dicatum, quod etiam nunc pene dirutum conspicitur. Nunc vero loquitur de secunda tempore ecclesia, ibi aedificari cœpta sub abbatiatu Patritii de Senis, anno scilicet 1319-20, parva quidem, sed etiam picturis adornata. Recte historicus noster, G. Thomas (*L'Abbaye de Mont-Olivet-Majeur*, p. 111), putat fuisse constructam « à l'en-

latitudinis; ubi omnia victui necessaria reponuntur. | Nam idem locus quovis fructu, omnique olerum genere habundat: | Sunt etiam per circuitum nemora et silve, que ibi degentibus ma | gnam prebent copiam lignorum. Habet quoque magna oliveta; | ex quorum vocabulo monti nomen indiderunt. Appellatur namque | Mons Oliveti (1). Et quamquam multum differat a monte illo oliveti, in | quo dominus Jesus solitus erat orationi operam dare, docensque discipulos | sedere, et alia multa misteria operari, que profecto ad exprimen | dum, lingua nostra insufficiens invenitur; tamen aliquid horum in se mons | iste videtur continere. Est quippe in eo pinguedo multarum vir | tutum, humilitatis, videlicet, caritatis, obedientie atque castitatis, | ceterarumque multarum, quas nunc, brevitatis causa, silentio tegimus. | Et vere absque ulla mentis ambiguitate, credendum est, quod | dominus, ut olim in Egipto et Thebayda, sic in presentiarum | servis suis, ad se glorificandum, sibique serviendum talem presta | verit locum. | In cuius medio patres nostri non mediocris pul | chritudinis monasterium, et ecclesiam, in vultuum eorum su | dore, construxe-

Monasterium.

---

droit appelé plus tard *De profundis* et *Chapitre*, adjacent à la grande église actuelle, du côté du sud ».

Hujus vero oratorii primum lapidem benedictione aspersit, Presbyter Restaurus, ex mandato episcopi Aretini. « De qua benedictione, habetur in *Chron. Cancell.*, instrumentum publicum extat, quod cum cœteris congregationis ipsius privilegiis in Monte Oliveto servatur ». Fol. 10'.

Sub fine autem saeculi XIV, adaucto monachorum numero, abbas Gen. Hyppolitus Jacobi de Mediolano (A. D. 1399-1402) cœpit aedificare aliam ecclesiam, quae, secus oratorium, de quo supra diximus, juxta Bargensem, « nunc extat ». Primum hujus ecclesiae lapidem in fundamentis positum est die 14 octobris anni 1401 (*Archivio di M. U. M.*, lib. C. M., p. 34, *apud* Besozzi, *op. ms. cit.*, p. 30). Cfr. Thomas, *op. cit.*, p. 111.

(1) Cfr. descriptionem hujus loci in *Commentariis* Pii II, lib. X, p. 497; Thomas, *op. cit.*, p. 211.

runt. In quo cum quanta districtione, regula | ris habeatur observantia, usque in presens; cum quantove fer | vore boni monachi, ad fastigia virtutum, pervenire curave | rint, noster prorsus non explicat sermo. Ita namque erant in oratio | nibus assidui, ut apte de illis possit dici: Invictum ab oratione spiritum non relaxabant, sicut de beato dicitur Martino, licet non | pari forma. Post completorium per spatium unius *miserere* | et *de profundis* cum oratione *Omnipotens sempiterne Deus, qui vivorum* | *dominaris* etc. et corpora sua verberibus macerabant; quod et in | presentiarum observationi traditur. Duxerunt etiam in usum, ut nul | lus post nocturnalem synacin, vel paululum dormitaret; | sed unusquisque aut orationi, aut lectioni vacabat. Insiste | bant quoque, si quis hoc indigebat, studio discendi. Summo autem mane, post primam, missam celebrabant (*a*): qua missa do | mino, devote decantabant tertiam et sextam. Sicque exeuntes | ad exercitium, manibus suis operabantur, quod eis necessarium | erat, usque ad nonam, cum omni silentio et humilitate, absque mur | mure. A fundamentis enim fornacem edificaverunt, que | et nunc permanet. In qua lateres, edificio necessarios, co | quebant; quos cotidie milites Christi ex ea extraentes, velut | aurum in fornace humiliationis probabantur. Silentii vero | summam ita arripiebant, ut non solum post completorium, aliisque | nocturnis atque diurnis horis, quibus nefas est infringere; | verum etiam in exercitio manuali, in refectorio, in clau | stro, et dormitorio; omnibus videlicet horis, ut potius he | remus, quam cenobium videretur. Institutum fuisse reperimus |, quod si regularem taciturnitatis normam, violare quis ausus | esset, vinum in illo die prorsus non biberet. Numquam ad | su[m]mum pontificem supplicationem habuerunt, ut eis in aliquo | dispensaretur. Nullus omnino aliquid suum dicere presume | bat, nec quidem nunc presumit; sed omnia nobis,

Illorum patrum monachalis ratio vitae.

Fol. 5.

(*a*) Text. B: *Celebrant.*

secundum | Apostolorum institutionem, ac beati regulam Benedicti patris no | stri, sunt communia. Unusquisque duas tantum modo ad u | sum tunicas possidebat, et scapulare cum cuculla. In pau | perculo namque vestiario, alique quamquam vetuste, habebantur tu | nice, que concedebantur illis quos necessitas lavandi urge | bat. Postquam vero suas ipsi lavissent res, dicte tunice vetuste re | ponebantur in vestiario; et sic erant in maxima voluntariaque | paupertate degentes. Pro lectulis autem sacculos paleis plenos | habemus, ex omni parte lateribus lecti clavis affixos. Super | quibus dormientes quiescimus. Deinde patres nostri haben | tes oves, faciebant fieri pannum ex velleribus earum, et fa | ciebant mantellos, vel pallia quibus dormientes se cooperirent, | vel certe per domum ambulantes, aut in mensis vel ecclesiis | existentes se induerent. Erat autem pannus ille rusticus, | et grossus, fusco colore; illius similitudinis, quo rustici utuntur. | Set quoniam superius diximus eos induere vestibus nive | is, ne mireris: sciebant enim beatum Benedictum, eos amonu | isse, non causari de colore (1); quamvis nonnisi pallios talem | in se colorem recipientes haberent. Quonam modo illos | abiecerint, ignoro: nunc vero illis minime utimur, sed | albis. Erant nempe potu, ciboque potissime temperati. | Tempore siquidem vindemie, cum de acinis vinum ex | traxissent: aquam miscebant vinaciis: facientesque triduo | plus vel minus, secundum quod eis videbatur, bullire, illo | implebant vegetes; quo per totam yemem reficiebantur. |

Fol. 5ᵛ Carnes nunquam, secundum regule textum comedimus, nisi gravis | sime infirmitatis urguerit necessitas. Et quia locus | ille, ut prefatum est, in vasta solitudine situs habetur; multa | que distantia manet inter ipsum, et flumina, vel mare, ra | ro aut numquam pisces comedebant. Decreverunt denique, ut quin | ta solum feria, et die dominico,

Monastica observantia.

(1) *Regula*, cap. LV.

pro quolibet darentur duo ova. | Similiter in festis ab ecclesia prȩceptis. In festivitatibus vero ma | ioribus, unusquisque in sui portione ad prandium, tempore non | ieiunii, duo ova recipiebat. Estatis autem tempore ad cenam, | panem et caseum cum salititio, solum manducabant: hiis ex | ceptis diebus, quos premisimus. Quippe in sanctorum vigili | is ab ecclesia indictis, nullus quidquam cocti comedebat. Nam | in primordio (*a*) quadragesime, ut a nonnullis seniorum | auxi, conventualiter annuatim statuebant, ut prima die | prime quadragesimalis ebdomade omnia clauderentur ostia | penus, ita ut aclamarent exemplo antiquorum patrum, | vinum prorsus non esse monachorum. Secunda namque die, clau | debant portas coquine, ut nullus nequiret quid coctum man | ducare; et sic alacri devotaque mente sanctum pasc[h]a erant ex | pectantes. Vindemie tempore, proiciebant vegetes per dirupta | montium, nihil de istis caducis vanisque rebus curantes; set | illud prophete sedulo in pectore revolvebant: quid enim mihi | est in celo et a te quid volui super terram? (1). Defecit caro | mea et cor meum: deus cordis mei et pars mea, Deus | in eternum (2). Et, mihi adherere deo bonum est: ponere | in domino deo spem meam (3). Igitur fama crescentes et nume | ro, eorum murmur in brevi ubique divulgatum est. Cives | vero hanc bonam famam aurientes, libenter eis archisteria contulebant, | ducentes pro maximo, si in sua civitate unusquisque talium me | reretur habere congregationem. Et quidem multi nobiles, de | genere atque mediocres de Egipti regione egre | diebantur, et ad solitudinem religionis veniebant; cupientes | maris naufragium evadere. Et sic, in brevi multiplicati sunt, ut plus |

Fama Montolivetensium divulgatur.

Fol. 6.

(*a*) Text. B: *Prandio.*

(1) Psalm., LXXII, 24.
(2) Psalm., LXXII, 25.
(3) Psalm., LXXII, 27.

quam trecenti monachi in nostra consisterent religione, uno tamen animo | et voluntate. In illo tempore, pene omnis regularis observantia anul | lata erat in Gallia, in Italia atque in universo orbe romano; | Cisterciensium videlicet, Camaldulensium, atque Vallumbrose; nec | [non] et fratrum Predicatorum, ac Minorum. Sanctus enim Bernardinus, qui | michi magne familiaritatis et amicitie vinculo coniunctus | fuit, observantiam minorum fratrum, que nunc viget, ipse incepit. | Audivi certe ab expertis et antiquis patribus, raro | ultra centenarium religionem in observantia bona, permanere, | quia valde difficile est, diu in arduis consistere. Ecce ex ma | nualibus exercitiis, exemplum capientes, in medium profera | mus. Nonne, ut aspicimus, unaqueque ars cum magno | fervore incipitur? Set certe negligendo paulatim anulla | tur: Sub onere namque, fastidium patimur, nisi singu | laris Salvatoris gratia, de die in diem, renovando subveniat | nobis. Et ideo Aristotiles omnino affirmat: Virtutem | in difficilibus consistere. Unde religio nostra, noviter incep | ta, e vestigio ad magnum augmentum fratrum pervenit; tum, Deo | spiritum suum cordibus eorum infundente; tum, quia nulla alia | religionis norma in observantia consistebat, nisi solum Cartu | siensis. Est ergo nobis cum propheta orandum: Conver |
Fol. 6. te nos, domine, et convertemur: innova dies nostros sicut a principio (1). | Nunc itaque hiis pretermissis ad sequentia veniamus.

De B. Bernardo.

Frater Bernar | dus, cuius mentionem (*a*) superius fecimus, post triennium in abbatem | assumitur. Qui post annuatim suppliciter absolutionem petens, denuo | assumebatur; et sic in abbatiatu viginti septem annis permansit. Hic | monasteriis; et mona[ch]is, Deo favente, ampliavit ordinem. Fu | it enim per omnia vir valde mirabilis et sanctus: dedit quoque patrimonii | sui omnem

---

(*a*) Text. B: *memoriam.*

(1) Thren., V, 21.

substantiam monasteriis; qui etiam profectus est Avi | nionem pro confirmatione ordinis (1). Nam Clemens sextus

---

(1) Bargensis adventum B. Bernardi Avenionem tenet; causam vero huius itineris, confirmationem ordinis, fuisse putat. Quae confirmatio per diploma Clementis VI « Vacantibus sub religionis observantia », dat. Avinion. XII kal. februarii, pont. anno secundo, incarnationis Domini 1344, lata fuit. Cf. *Multa | ac diversa | privilegia Congregationi | Montis Oliveti, a diversis Pontificibus concessa | atque confirmata.* | — Impressum Fulginie per Augustinum Colaldi, apud | Vincentium Cantagallum, anno Domini 1566, priv. I; *Privilegia | Sacrae Cong. | Monachorum | S. Mariae Montis | Oliveti concessa | per notarios publicos cum exemplaribus, ex quibus transumpta sunt, collata | et approbata | — nunc ad utentium commodum in lucem edita.* — Bononiae, apud Jo. Rossium, MDLXXX, Curiae Episc. et S. Inquisit. concessu, pag. 3-5; Lancellotti, *Hist. Oliv.*, I, 21.

Quo anno vero B. Bernardus ad Sedem Apostolicam, tunc Avenioni degentem, profectus sit, auctor noster silet, quamvis innotuere videatur, hoc factum fuisse, paulo ante confirmationem Ordinis per Clementem VI, habitam anno 1344, mense Januario, die 21. Pontificis diploma altum silet de itinere Bernardi; immo loquitur tantum de petitione, hisce verbis: « quare praefati Abbas et Conventus nobis humiliter supplicarunt, ut etc. ». Quod si revera ad hoc negotium, Bernardus, ad pedes Pontificis provolutus fuisset, et in ipso diplomate huius rei mentio facta esset. Quod semper actum fuisse in pontificalibus litteris, certo certius constare nemo est qui non videat. Nunc autem videant patrocinatores itineris B. Bernardi, an hoc sit validum argumentum, nec ne.

Aliqui historici, videntes forsitan argumentum petitum ex silentio diplomatis, non tempore Clementis VI, iter Bernardi posuere, sed tempore Johannis XXII (XXI): immo Lancellottus (*Hist. Oliv.*, I, 7) litteris apostolicis, patres nostros Avinionem ad iudicium evocatos fuisse, existimat. Quem sequitur Cl. Maréchaux (*Vie du B. Bernard Toloméi*, 1888, p. 92 seqq.); dum D. Michael Ang. Bonhavertius (*op. cit.*, edit. a. MDCV), tenens et ipse duo patrum nostrorum Avenionem itinera, B. Bernardum minime profectum fuisse contendit, sed misisse solummodo ad sedem Apostolicam duos ex patribus nostris robustiores sapientioresque.

papa, | qui tunc residebat Avinioni, libenter petitioni sue annuens confir | mavit omnia, que nobis dominus Guido de petra mala aretinus | episcopus contulerat. Ex sui vero clementia approbavit atque confirmavit ordinem nostrum, duodecimo kalendas februarii, in festo | sanctissime Agnetis virginis et martiris (1). Qui dies apud | nos celeberrimus habetur. Mortuus est autem predictus Bernar | dus, vigesimo abatiatus sui anno et septimo (2). Post | cuius obitum, omnes abbates ei successerunt, ut inferius pa | tebit. Ista vero superius dicta, ideo scripsimus, ut qui hec | legerit, si professus fuerit, regulam, quam ipsi professi sunt, | pudeat vel in aliquo eos non imitari: si autem professus | non fuerit, studeat quoque, seculo terga dando, eosdem imi | tari: si ad gloriam, qua ipsi fruuntur, placet pervenire. Nunc | quidem in presentiarum, quamquam non equali modo ut patres nostri, | tamen regularis observantia districte tenetur. Nam ab ydibus | septembris usque ad Domini Resurrectionem cotidie ieiunamus, | nullam penitus violantes diem; dumtaxat diem Dominici Nata | lis. In quo quippe

Fol. 7.

Antiqua monachalis ratio vivendi.

ob tante solempnitatis reverentiam, mini | me convenit abstinere. Porro si quis visitatorum, vel abbas gene | ralis aliquem vellet, causa necessitatis, vel recreationis, seu etiam | adventus peregrinorum fratrum dispensare, eis solum liceret: tamen id ra | ro fit. Tempore namque vindemie, hactenus consuetum fuit dis | pensare, ubi oportet vindemiare. Istis autem pretermissis diebus, | nec prior potest dispensare conventum, absque licentia abbatis ge |

---

(1) Cf. originale diploma in REGISTR. OLIVET., I, 16.

(2) Obiit B. P. Bernardus, Senis, anno 1348, mense augusto, die 20, magna tunc pestilentia grassante. Bargensis loquitur inferius, in serie chronologica abbatum generalium, de ipso et aliis, qui cum ipso, eodem tempore, eodem martyrii spiritu, eodemque actu charitatis erga Deum et proximum, vocati fuere ad coronam gloriae.

neralis seu visitatorum; que non leviter conceditur. A Pascha usque | ad Pentecostem, nec unum diem ieiunamus, iuxta preceptum | regule; verba quoque Domini memoriter retinentes, dicentis: Non | possunt filii sponsi ieiunare quamdiu cum illis est sponsus (1). A Pente | coste enim usque ad festum Exaltationis Sancte Crucis, quartam, | sextamque feriam ieiunant fratres, nequaquam hanc normam vio | lantes, nisi nimius fervor estatis incaluerit. In Adventu Domini, | in Quadragesima, in vigiliis ab Ecclesia statutis, et in omni die ve | neris, lacticinia haud comedimus, nec ova. Carnes num | quam mandimus, nisi gravis intervenerit infirmitatis neces | sitas: quod ut infirmatus se melius habere cognoverit, opi | do dimittit eas, et ad proprii conventus revertitur usum. | De vestibus quid di-
De Vestibus.
cam? Non enim antiquis patribus compa | randi sumus, qui modicis ac paucis pannis utebantur; tamen | nec girovagis conformari credimus. Nam tunichi | num penitus, sine evidenti necessitate, videlicet infirmitatis, | tenemus. Camisiam autem neque lineam, neque laneam portamus; | sed tantum super nuda carne simplicem tunicam. Unusquisque | nostrum tres ad usum habet tunicas, cum cuculla et scapulare. Sin | gulis quoque dantur pedules et capeline necessarie. Nam | calige difficile conceduntur, hiis dumtaxat quos infirmitas | seu senectus urget, vel alia evidentissima causa deposcit. |
caliga
Fol. 7'.

Deliciis omnino, quisquam nostri, quamvis fuerit antiquus, aut infirmus, | non utitur. Balnearum vero usus, prestatur in necessitate ab abbate | vel visitatoribus. Nullus monachus potest manducare, aut | bibere sine sui prioris licentia; et huiusmodi licentia, haud illis | conceditur per annum, set per diem et horam; quod si quis secus fecerit, | mandens aut bibens absque licentia, a priore suo minime va | let absolvi: enim ad abbatem reservatur. Qui

(1) Matth., IX, 15; Marc., II, 19; Luc., V, 34.

autem contra hone | statem, quid vel in minimo actu, impudico videlicet animo, fecerit, ei | dem subiacetur vindicte. Nocturnalem nempe synacym, secun | dum regule decretum, tam estivo tempore, quam yemali, sagaciter | celebramus. Nec ullus valet post matutinum, nisi cum | sui maioris licentia, dormire. Unde quidam abbas fecit | fieri, in singulis ostiis cellarum, duo foramina, que clau | sa in quibusdam monasteriis adhuc videntur: ut senior deputatus potuisset videre vigilantes et dormientes. Vota | proinde, que profitentur hii, qui mundialibus curis dorsa verterunt, | optime hucusque in nostro ordine, communiterque servantur. |

De obedientia. Quidnam de obedientia dicturi sumus? In qua totius religionis consistit robur et fundamentum? Omni quidem anno ab abbate | et visitatoribus, fiunt de novo familie, mutantesque fratres | de loco ad locum, ut melius noverint saluti anime singulorum | convenire. Mittunt cedulas singulis conventibus, in quibus con | tinentur mutationes; quibus sicuti evangelio, tam prelati quam subditi | obediunt. Transmigrantibus enim de loco ad alium locum, propter | obedientiam, datur a priore Monasterii, a quo recedunt, pe | cunia, Fol. 8. eorum victui necessaria, dum itinerantur. In com | muni profecto, iuxta beatissimorum patrum leges, vivimus; nec | ullus quid esse, dicere audet. Fit quidem a visitatoribus, | temporibus congruis, magna inquisitio proprietatis; enim post | triduanum ab eis terminum impositum, ut moris est dare, | si quis parum vel multum possidens, contra maiorum volunta | tem, non ultroneus panderit delictum suum, illico excomu | nicatur. Ceterum visitatores, de monasterio quod visitave | runt, antequam recedant, solicite scrutantur cellas fratrum, ne ali | quis in tam gravi, nefandoque delicto iaceat ignotus |. Atqui ut olim regularis exercitiis disciplinam custodiunt | fratres. Nocturnum vero diurnumque divini operis officium, cum magna | diligentia celebratur, tam cantando quam legendo. In plerisque mo | nasteriis, in toto yeme cantatur matutinum, potissime in mo | nasterio Montis Oli-

veti; in quo tam in yeme, quam in estate, pene | totum officium decantant fratres; ex quibus aliqui, tum propter longitudi | nem cantus, tum propter exercitium, quod nimis prolixe extenditur, | tum propter ieiunium et vigilias, lapsi aliquotiens cantando, seu | legendo ceciderunt in terra. Unde quidam Bartolomeus de | Mantua, vir bonus, qui nuper in Christo defunctus est (1), in medium | profertur, ne frivola fari videamur. Hic enim cum, ante | analogium cum aliis cantaret, cecidit in terra, non infirmitatis causa, | sed potius, ut prescripsimus, lapsitudinis. In capitulo autem | transacto ad numerum reperti sunt, plusquam quadrigenti fratres, | existentes unanimiter in religione. Et quidem, ut quondam | ad David, postquam numerum populi sui agnovit, dictum est, | a Domino per prophetam: Trium tibi datur o[p]tio et cetera (2), ac de | inde grassavit valida pestis in populo, ita quoque et nunc. No | verunt certe multitudinem fratrum, nec tamen Deus adiunxit fratres | multitudini, quyn potius subtraxit. Ut discamus, non | in fratrum multitudinem, spem exultationemque habere, set in Domino | et in virtutibus. Mortui sunt ergo de hac presenti peste, que in | tota pene viguit Italia, fratres ferme quinquaginta (3). Porro | regimen ordinis nostri semper extitit uniforme. Nam crebro mu | tatum est pro tempore, ut melius maioribus visum fuit. Cre | scentibus namque monasteriis ac fratribus, multiplicate sunt volunta | tes eorundem. Preterea in principio ordinis ordinaverunt ab | batem, uno tantum anno duraturum in officio abbatiatus sui (4). |

Fol. 8.'

Voluntates multiplicantur.

(1) Hic Bartholomaeus de Mantua fuit prior monasterii ad castrum sancti Geminiani, et obiit a. 1450. [Necr. Oliv. *ad annum*].

(2) II Reg. XXIV, 12.

(3) Agitur fortasse de pestilentia Mediolani praecipue, a. 1450, grassante. Cf. S. Lancellotti, *L'Hoggidì*, Parte prima, Venetia, M. DC. LXXV, p. 523.

(4) Approbata Congregatione ab episcopo Aretino, diplomate suo diei XXVI martii 1319, statim eligitur in abbatem, Pa-

Dein | de constituere fratrem Bernardum supra memoratum abbatem, qui omni | anno renuntiando, iterum ad eiusdem abbatiatus apicem, assumebatur (1). | Alias autem abbas eligebatur a quatuor senioribus, qui vocabantur | socii abbatis. Erant quoque alii quatuor fratres, appellati visitatores: | qui ordinem totum visitabant, habentes magnam auctoritatem ab ab | bate. Ac deinde in urbe romana, bone memorie papa Mar | tinus concessit (2) amonuitque fratres, ut fierent sex visitatores, | qui | durarent duobus annis, et absoluti, aliis ambobus annis, vacarent | ad minus. Celebrabatur antiquitus generale capitulum annua | tim: ad quod pergebat quilibet nostrorum monasteriorum prior, | cum duobus sui conventus vocibus; et hec norma, centum ferme | annis, stetit inviolabilis. Nunc demum extat decretum, quod so | lum, de biennio in biennium, celebretur dictum capitulum; ad quod | celebrandum, properet quilibet prelatus nostri ordinis, cum una tantum | voce, et quod abbas duret quatuor annis, post cuius absolutionem, | antequam ad idem

---

tritius de Patritiis, Senensis genere et patria, cui successit, anno sequenti 1320, Ambrosius ex familia Piccolominea, et anno 1321, Simon Turius, et ipse Senensis. Qui omnes, uno tantum anno, munere suo functi sunt. Cf. LANCELLOTTI, *Hist. Oliv.*, I, 14, 15.

(1) Quarto loco, anno 1322, in abbatem eligitur B. Bernardus, qui, singulis annis, a fratribus confirmatus, perduravit in officio usque ad an. 1348, quo cœlum petiit. Cf. LANCELLOTTI, *Hist. Oliv.*, I, 18-20; MARÉCHAUX, *Vie du B. Bernard Toloméi*, 1888, 149 seqq.

(2) Tempore utique Martini V, sed per Reformatores a Sancta Sede electos, litteris datis sub die XVII mensis maii, anno 1430, venerabili patri et abbati monasterii Montis Oliveti. Cfr. REGISTR. OLIVET., II, 25. Primi autem sex visitatores ab E.mis Reformatoribus electi, fuerunt fr. Jeronimus de Perusio, fr. Nicolaus de Regno, fr. Bartholomeus de Mantua, fr. Petrus de Napoli, fr. Baptista de Podio bonizo, et fr. Benedictus de Yspania.

valeat reassumi, ad minus vacat octo annis (1). | Atque, quia prescripsimus, patres mutasse sepius cerimonias ordinis, et re | gimen, non prorsus hoc leviter faciebant: cogente enim necessi | tate, immutaverunt aliquotiens precedentium patrum statuta. | Nam et Ecclesia Romana atque plebes, sepenumero mutavere | leges suas et decreta. Porro patres nostri regularis observantie nor | mam dispensarunt numquam. Non enim convenit alicui, regulas sanctorum | approbatas dispensare, nisi Summo Pontifici, vel quibus ab ipso concessum | fuerit; et hoc si necessitas poposcerit. Unde Gelasius papa inquit: | Ubi necessitas non est, inconvertibilia maneant sanctorum patrum decre | ta. Leo vero papa dicit: Ubi necessitas non est, nullo modo violentur | sanctorum patrum constituta. Et infert: Ubi ergo necessitas fuerit ad | utilitatem ecclesie, qui potestatem habet, ea dispenset. Ex necessitate | enim, ut beatus infert Bernardus, fit mutatio legis. Qua in re cerni | tur, nec ipsis quidem prelatis, dispensandi libitum fore concessum, nisi | maxima necessitas aderit. Ceterum statuta dominica, nullam | penitus humanam dispensationem, admittunt. Deus tantum, ut | beatissimus Bernardus probat, horum quod voluit, quando voluit, | solvit. Quod vero patrum sanctorum statuta, aliquotiens egeant neces | saria correctione, vel dispensatione, testatur Jeronimus, doc | tor egregius, in fine

Cogente necessitate statuta immutantur.

(1) Quae hic afferuntur a nostro Bargensi statuta fuere anno secundo abbatiatus Hieronymi de Neapoli, nempe anno 1432. Nam in *Chron. Cancell.*, haec adnotantur: « Cuius [abbatis] secundo anno, per R.mos domnos Reformatores constitutum est Generale Capitulum tertia Dominica post Pascha Resurrectionis, *de biennio in biennium*, deinceps celebrari; quum prius per annos nonaginta et amplius, Kalendis maii, semper celebratum sit. Item praefati domni Reformatores statuerunt quod quilibet monasteriorum nostrorum conventus unam tantummodo vocem (nam prius duae eligebantur), ad Generale Capitulum cum Priore suo mittendam ex gremio tui capituli eligat, etc. ». Fol. 26'; cf. Registr. Oliv., II, 22, 24.

regule ad Eustochium scripte, dicens: | Nulla enim tam sancta, tam iusta et diu provisa est constitutio, que | in futurum plurimos non patiatur defectus, que aliquando corre | ctione non egeat. Propterea si quid in hac normula apo | stolice vite et religionis, dispensatione, correctione, vel | mutatione indiget, episcopo nostro, preposito viro presbitero sancto comit | to, ut secundum plenitudinem Spiritus Sancti dispenset, mutet et | corrigat. Cuius nos gratia fulciti, servire valeamus Patri ac Fi | lio, qui vivit et regnat in unitate eiusdem Spiritus Sancti per omnia secula. Amen.

SERIES CHRONOLOGICA

ABBATUM GENERALIUM

Hic inferius scribentur et annotabuntur omnium abbatum nomina et eorum acta notabilia a principio ordinis usque ad presens. Fol. 9'.

I.

I. Patritius de Patritiis de Senis (1319-20).

Primus itaque abbas generalis, in ordine montis Oli | veti, fuit frater Patricius de Patriciis de Senis, an | no domini M° ccc° xviiij. Quia frater Bernardus, propter defectum | visus; nam non longe videbat; non poterat eligi in ab | batem (1). Et iste duravit in officio abbatiatus anno uno | et sepultus est in monte Oliveto (2).

(1) De defectu visus B. Bernardi cf. documenta edita a Lancellotto (*Hist. Oliv.*, I, 18-20).

(2) Anno 1319, sub abbatiatu Patritii de Patritiis, cœptum est aedificari primum monasterium. Quod hisce verbis enarratur in *Chron. Cancell.*: « Non itaque sumptuosis lapidum ordinibus, quorum in locis illis (sabulo et quidem profundissimo ibi existente) tanta habetur penuria, ut nec unus quidem vel vix inveniri possit; non vero altis tabulatis; non denique ambitiosis aedificiis: sed sicut eorum permittebat inopia monasterium humile construxerunt, tam refectorio, quam dor-

II.

II. Ambrosius Picolomineus Senensis (1320-21).

Secundus abbas fuit | frater Ambrosius de Senis. Iste anno uno duravit, | et sepultus est in monasterio montis Oliveti (1).

III.

III. Symon Thurius Senensis (1321-22).

Tertius abbas fui frater Symon Thure de Senis, et iste | uno anno duravit, et sepultus est in monte Oliveto (2).

---

mitorio et cœteris officinis ex luto simplici terreos et luteos parietes circumponentes. Laborabant autem propriis manibus, per omnia ipsi fratres operibus incumbentes.... Misit deinde domnus episcopus Aretinus ad Montem Oliveti venerabilem virum domnum Restaurum, capellanum domus Trinitatis de Aretio, cum episcopali auctoritate ad primum lapidem benedicendum, qui in fundamentis secundae ecclesiae tunc construendae collocandus erat. De qua nimirum benedictione instrumentum publicum extat, quod cum cœteris congregationis ipsius privilegiis in Monte Oliveti servatur. Et sic secundum oratorium non sumptuosum, sed eorum paupertati et multitudini satis conveniens, in honorem sanctae Dei genitricis, cuius habitum gerebant et titulum, extructum est: devotum valde, et Deum sui habitatorem esse intuentibus demonstrans... ». Fol. 10, 10'.

Abbas Patritius pie obiit in Domino, anno 1347. Cf. M. A. BELFORTI, *Chronologia brevis*, Mediolani, MDCCXX, p. 12; G. BUCELINI, *Menologium Benedictinum*, Veldkirchii, M. DC. LV, die XVII Martii, p. 204. TONDI, *I fasti olivetani*, Venezia, 1684, pag. 5-7.

(1) Ambrosius, ex nobili Picolominea gente, Senis natus, electus fuit in Abbatem Montis Oliveti, Kalendis Septembris 1320, et obdormivit in bona pace, anno 1338. Cf. BELFORTI, *op. cit.*, p. 13; CARPENTERIO, B. Bernardi.... Vitae Libri quinque, Neapoli, 1642, III, p. 160; TONDI, *op. cit.*, pag. 7-9.

(2) Simon Turius Senensis, abbas renuntiatus Kalendis Septembris 1321, cœlum petiit anno 1348. Cf. BELFORTI, *op. cit.*, p. 14; CARPENTERIO, *op. cit.*, III, 161; TONDI, *op. cit.*, p. 9-11.

IV.

Quartus abbas fuit frater Bernardus de Tholomeis de | Senis (1). De isto habito concilio quod renuntiando, omni anno pote | rat eligi, in abbatem electus est, et duravit annis viginti | septem. Iste valde ampliavit ordinem, quia primus inceptor | fuerat, et dedit possessiones plurimas monasterio Montis | Oliveti, que fuerant ex suo patrimonio. Insuper acquisivit | multa Monasteria ordini, temporibus suis, videlicet monasterium Sancti | Benedicti de Senis (2), Sancti Bernardi de Aretio (3), Sancti Bartholomei | de Florentia (4),

IV. Bernardus de Ptolomaeis (1322-1348).

(1) Electus habetur Kalendis Septembris 1322, et perduravit in officio usque ad an. 1348. Tempore ipsius statutum est, ut in comuni oratorio, officium mortuorum, pro defunctis fratribus, recitaretur; quae consuetudo a nobis adhuc servatur. Cf. *Chron. Cancell.*, fol. 13; TONDI, *op. cit.*, p. 12-16.

(2) A viro Bonaventura Valcherini nobis donatum an. 1322, suis expensis extructum, Senis, extra, portam « Tufi », extabat: nunc autem nihil de ipso superest. Cf. LANCELLOTTI, *Hist. oliv.*, II, 115; BELFORTI, *Chronologia*, p. 11.

(3) A Guidone Petramala, episcopo Aretino, aedificatum, nobisque traditum an. 1320. Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 117; BELFORTI, *op. cit.*, p. 30.

(4) Quod monasterium nomine quoque vocitatur « Monte Oliveto di Firenze ». Nostris datum est an. 1334. Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 119; BELFORTI, *op. cit.*, p. 23. — Per Summum Pontificem Clementem VI huic monasterio Florentino adiuncta fuerat ecclesia sancti Laurentii « del Pogio a le Cave » de Monticellis prope Florentiam. Quae ecclesia a quondam presbytero Dino aedificata fuerat. Attamen, tempore huius unionis, quidam fraticelli, vulgariter nuncupati, nullius ordinis approbati existentes, in eadem ecclesia moram facientes, episcopo Florentino Angelo Acciaioli, ex ordine Praedicatorum, qui eandem unionem fecerat, pertinaciter restitere. Contra quos, sententia excommunicationis per Hugolinum, episcopum Civitatis Castelli (dat. Neapoli, die XI mensis decembris, 1344), lata fuit. Sed, eorum pertinacia fortiter recusante, monachi olivetani, omni iuri suo expresse renuntiarunt (12 octobris 1345). REGISTR. OLIV., I, 18, 19, 20, 21, 22.

Sancte Anne de Camprena (*a*) (1), Sancti Donati de Eugu | bio (2). Nam processu multo temporis permutatum fuit pro mona | sterio Sancti Benedicti de Eugubio (3), quod in presentiarum tenemus. | Monasterium Sancti Nicolai de Fulgineo, quod post anno domini | M° cccc° xxx° ij° dimissum fuit (4). Monasterium Sancte Marie in | do[m]nica Rome, quod postea dimissum fuit (5). Monasterium Sancti An | dree de Vulterris (6). Monasterium Sancte Marie
Fol. 10. Castri Sancti Giminia | ni (7), et alia plura, que, tractu temporis, dimissa fuerunt. Hic fuit doctus vir, | et mortuus est in officio abbatiatus, anno Domini Millesimo trecentesimo quadragesimo | octavo, tempore magne pestis,

---

(*a*) Text. B: *Camperna*.

(1) Huius cœnobii area donata fuit a Senensi fœmina Ugutia, uxore Rametii Ragnoni patricii Senensis, an. 1324. Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 129.

(2) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 307.

(3) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 310.

(4) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 355; REGISTR. OLIV., I, 24, 25, 26, 28.

Sub titulo *Sancti Nicolai di Cippischis*, vel *de Ciumpischis*, uti habetur in REGISTR. OLIV., I, 24, 25, 26, 27, 28. Cf. JACOBILLI, *Cronica della Chiesa e Monastero di Santa Croce di Sassovivo nel territorio di Foligno*, in Foligno, 1653, p. 251.

(5) De monasterio Urbis Sanctae Mariae in Domnica, postea agendum est, pag. 34.

(6) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 130.

(7) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 132; BELFORTI, *op. cit.*, p. 44.

De ipso monasterio haec habet *Chron. Cancell.*: « In agro deinde castri sancti Geminiani, Vulterranae diœcesis, in villa Barbiani, monasterium in honorem sanctae Mariae semper Virginis, a magnifico equite domno Joanne de Salvuciis de eodem castro, eiusque coniuge domna Margarita de Bardis de Florentia, a solo fundatum fuit et constructum; ac bonis temporalibus dotatum, a congregatione nostra suscipitur. » Fol. 14', 15.

quando mortui sunt de fratribus nostris numero | LXXXII°, ut in libro fratrum mortuorum continetur (1). Et sepultus est | Senis, in monasterio Sancti Benedicti (2).

V.

Quintus abbas fuit frater Ambrosius de Aretio (3), et electus | est de mense augusto vel septembri, et duravit duobus annis non com | pletis; quia in Kalendis madii secundi anni sui, cepit celebrare ordo | noster capitulum generale (4). Tempore abbatiatus sui habitum est | Mona-

V. Franceschinus Guidutii de Tracozzano (1348-1350).

(1) Cf. omnes de rebus olivetanis tractantes, sed praesertim MARÉCHAUX, *Vie du B. Bernard T.*, p. 207 seqq.

Nomina vero eorum qui cum B. Bernardo, eadem peste grassante, aeternitatem petiere, habentur jam edita a Cl. viro Gregorio Thomas (*L'Abbaye de Mont-Olivet-Majeur*, Sienne, 1898, p. 219-222). Sed ipse octoginta tantum monachos enumerat, cum et Bargensis et Necrologium, quod prae manibus nunc habeo, LXXXII^os testentur ad patriam evolasse.

(2) De loco sepulturae B. Bernardi pro monasterio Senensi, deque curis pro ipsius corpore inveniendo, scripsit erudite, abbas D. Petrus Rosini († 10 maii 1807), tractatum huius tituli: *Relazione dei nuovi motivi per li quali si è fatta nuova ricerca del corpo del Beato Bernardo Tolomei.* Quae opella maximae utilitatis pro historia olivetana, expectat diem, qua in lucem prodire possit.

(3) Iste abbas electus an. 1348 post mortem B. Bernardi, amisso Ambrosio, appellabatur *Franceschinus Guidutii de Tracozzano Aretinus* († 1363).

(4) Cl. D. Cherubinus Besozzi in *Notis in Constitutiones olivetanas* (mss. p. 50) de capitulo haec habet. « Ab anno 1320 usque ad annum 1338 Capitulum generale Kalendis septembris celebrabatur; verum, iubente ipso B. Bernardo Protoparente nostro, anno 1339 ad Kalendas Maii traductum est. Cum vero ad superos evolaverit B. Bernardus anno 1348; die 22 augusti, immediate post ipsius transitum in abbatem gen. substituere F. Francischinum de Aretio, qui in ea dignitate perstitit usque ad Kalendas maii 1350, quibus celebratum fuit de

sterium Sancte Marie de Riperia Paduensis diocesis (1). Hic se | pultus est in Monasterio Castri Sancti Geminiani (*a*).

VI.

VI. Rainerius Simoni Senensis (1350-1351).

Sextus abbas fuit frater Raynerius de Senis, qui electus est | in Kalendis mensis Madii; quo tempore ceperunt fratres nostri celebrare ca | pitulum generale. Iste iverat tempore magne pestis ad heremum | in monte Argentario (2), et ibi morabatur, et missum fuit pro | ipso, quando elegerant eum in abbatem, et venit et duravit anno | uno. Huius tempore habitum est [monasterium] Sancte Marie Nove de Urbe (3), et quod | prius habebant reliquerunt (4).

(*a*) Text. B: *In monasterio Sanctae Mariae de Barbiano Castri Sancti Geminiani.*

more Gen. Capitulum. Hujusmodi consuetudo a Clemente VI confirmata per Breve ad perpetuam rei memoriam « His, qui ad divini nominis laudem » Avinioni datum, anno 9° pontificatus, seu 1351, octavo Idus Augusti, interrupta duravit ad annum usque 1431, quo decretum est, ut dominica tertia post festum Resurrectionis agerentur Comitia. Aliquando tamen translata sunt ad dominicam quartam, ut anno 1554, diris quibusdam necessitatibus ita cogentibus, interposita auctoritate pontificis ». Haec una tantum vice meminisse sufficiat.

Breve Clementis VI, editum habemus in libro: *Multa ac diversa privilegia*, Fulginie, 1566, P. IIII, p. 4-6.

(1) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 136.

(2) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, I, 24.

(3) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 133; Belforti, *op. cit.*, p. 93; P. Lugano, *Il B. Bernardo Tolomei e Gregorio XI a Santa Maria Nova*, in *Cosmos Catholicus*, 1899, p. 110; Idem, *S.a Maria Olim antiqua nunc nova, al Foro romano*, 1900.

(4) Idest monasterium S. Mariae in Domnica, de quo *Chron. Cancell.;* haec habet (fol. 17): « monasterium Sanctae Mariae in Domnica, tempore beatae recordationis Bernardi, in eadem urbe [Roma] antea habitum; fratribus unde regulariter et cum observantia viverent ibidem commoditatem non habentibus, a patribus est derelictum ».

VII.

Septimus abbas fuit frater Laurentius Cionis de Aretio, et | duravit annis tribus. Huius tempore ordinatum est quod abbas dura | ret annis tribus (1). Tempore etiam suo facte sunt alique constitutiones, presertim | constitutio, de fienda memoria mortuorum quater in anno, | ut modo observatur (2). Hic mortuus est in curia Avinioni (*a*) | pro factis ordinis, et ibi sepultus est (3).

VII. Laurentius Cionis Aretinus (1351-1354).

VIII.

Octavus abbas fuit frater Reynerius de Senis, secundo, et duravit | annis tribus (4). Tempore huius facte sunt plures constitutiones, presertim | quod nullus possit habere concilium (*b*) contra officium abbatis, et ordinatum est | qui sint casus reservati ad personam abbatis, ac etiam facte sunt et ordi | nate monasteriorum taxe, scilicet quod habeant solvere pro visitatore (*c*), et pro | tempore capituli generalis; et ordinatum est quod quilibet frater, non | sacerdos, sumat saltem, semel in mense, Eucharistiam sanctam, | et alie plures constitutiones facte sunt (5).

VIII. Rainerius Senensis (1354-1357).

Fol. 10'.

(*a*) Text. B: *Avinionensi*. — (*b*) Text. B: *Consilium*. — (*c*) Text. B: *Visitatione*.

(1) Eligitur Kal. maii 1351 et durat in officio usque ad Kal. maias 1354.

(2) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, I, 24, 25.

(3) Obiit an. 1373, et humatus iacet in ecclesia fratrum Praedicatorum Avinionensi. Cf. *Chron. Cancell.*, fol. 17'; LANCELLOTTI, *op. cit.*, I, 25.

(4) A Kalendis maii 1354 usque ad Kal. maias 1357.

(5) Cfr. LANCELLOTTI, *op. cit.*, I, 25; *Chron. Cancell.*, fol. 18; BESOZZI, *Constitutiones oliv. notis illustratae*, II, 12, n. 9.

IX.

IX. Salvius Doni Florentinus (1357-1369).

Nonus abbas fuit frater Salvius de Florentia, et duravit annis | duodecim quia quater confirmatus fuit (1). Tempore huius | facte sunt plures constitutiones, presertim quod non coquantur carnes pro | secularibus in Monasterio, et quod non comedatur conventualiter | cum lumine lucerne, nec sine silentio. Item quod antiphone pro | commemorationibus, in vesperis, cantarentur. Item quod mulieres non | possint transire ad monasterium principale, nisi solum ubi nunc | situm est palatium. Item facta est constitutio pro murmurantibus, | tam pro prioribus, quam pro conventualibus: qui murmuraverit comedat semel sine tobalea, dimittendo vinum, vel pul | mentarium. Item super silentio die noctuque horis regularibus, ac | etiam cum hospitibus, cum penitentia dimittendi semel vinum, | in prandio, vel cena. Item preceptum est factum in capitulo generali, sub | maiori precepto, sub pena excomunicationis, quam ipso facto | incurrant, quod quilibet frater qui habet interesse ad electionem | abbatis, eligat in abbatem, secundum suam bonam conscientiam, quem | cognoscit magis utilem ad conservationem ordinis, et ad | profectum et salutem animarum. Item facta est constitutio super verberan | tes. Item constitutio de Apostatis (2). Item tempore huius idest anno Domini M° | trecentesimo sexagesimo primo habitum est monasterium Sancti Jeronimi de Agnano, | de Pisis (3). Item anno domini 1367 habitum est monasterium Sancti Michaelis de Bosco de Bononia (4). Item 1367 habitum est

(1) Duodecim annis, sed tribus vicibus. Prima vice, duravit in officio a Kal. maii 1357, ad Kal. maias 1369. Cf. Tondi, *I fasti oliv.*, p. 21-24.

(2) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, I, 25; *Chron. Cancell.*, fol. 18, 18'.

(3) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 138.

(4) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 140; Francesco Maga-

Monasterium | Sancte Marie montis Morcini de Perusio (1). Fol. 11.
Hic sepultus est in Monasterio | Sanctis Miniatis Florentie (2).

X.

X. Rainerius Senensis (1369-1372).

Decimus abbas fuit frater Reynerius de Senis, tertio electus, | et duravit annis tribus. Huius tempore ordinatum, et | obtentum a sede apostolica (3), quod abbas generalis non possit, tran | sacto triennio, confirmari; et nisi vacet per aliud triennium, non | possit iterum eligi. Item per sedem apostolicam etiam ordinatum est, | quod ad abbatis generalis electionem, conventus Montis Oliveti, | qui prius intererat totus, non possit habere, nisi sex voces; quarum | una est ipse abbas generalis, altera prior monasterii, relique | quatuor per conventum eligi habeant. Reliqui conventus aliorum monasteriorum, | ultra vocem sui prioris, possint duas voces eligere, et mittere | ad capitulum. Et hoc factum est anno tertio sui abbatiatus. Hic sepultus | est in monasterio nostro Sancti Benedicti de Senis (4).

Luzzi Valeri, *La chiesa e il convento di S. Michele in Bosco*, Bologna, 1895.

Antequam ad nos hoc cœnobium transiret, possidedant fratres ordinis Sancti Augustini. Nostri vero prius ab Aymerico Bononiensi Episcopo sunt consecuti « ecclesiam sancte Marie, quæ antea appellabatur fratrum Gaudentium, sive milicie beate Marie, sitam Bononie in capella, sive parochia sancte Lucie, quasi in capite Burgi de Ariento ». Ita refert monumentum Gometii Garsie de Albornocio Rectoris Civitatis Bononie, sub dat. 28 Julii an. 1363 (*Archiv. Oliv.*, mazzo: S. Michele in Bosco di Bologna). Multa alia documenta possidemus, quae prosperam diei lucem expectant.

(1) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 146; Idem, *Il Mercurio Oliv.*, pag. 158.

(2) Aeternitatem petiit an. 1391.

(3) Cf. Diploma Gregorii XI, dat. Avinion. II Idus decembris anno primo [1371], in Registr. Oliv., I, 53.

(4) Obiit an. 1380; sed non Avenioni, ut habet Belfortius (*Chron. brevis*, p. 18).

XI.

XI. Salvius Doni Florentinus (1372-1375).

Undecimus abbas fuit frater Salvius de Florentia, qui supra, et du | ravit annis tribus (1). Huius tempore habitum est monasterium Sancti Mi | niatis de Florentia, idest 1373 (2).

XII.

XII. Michael Pratensis (1375-1378).

Duodecimus abbas fuit frater Michael de Prato, et duravit | annis tribus (3). Huius tempore habitum est monasterium Sancti Jacobi et Christofori | de Roffeno (4). Iste sepultus est in Monte Oliveto.

XIII.

XIII. Matthaeus Landini Pratensis (1378-1381).

Tertius decimus abbas fuit frater Matheus de Prato, et duravit | annis tribus (5). Huius tempore ordinatum est,

---

(1) A Kal. maii 1372, ad Kal. maias 1375.

(2) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 127; BELFORTI, *op. cit.*, p. 23; REGISTR. OLIV., I, 58.

Haec insuper enarrantur in *Chron. Cancell.:* « In illa quippe [abbatia S. Miniatis] nigros monachos degentes, nec regulariter viventes, eorum abbas quum saepius corriperet, nec reprehensibilem suam conversationem qualitercumque emendarent, decrevit, ne tam nobile et antiquum monasterium ministris illis indignis, tam indigne celeretur, ad regularem observantiam illud restituere.... Ex propria igitur, qua erga religionem nostram, afficiebatur devotione, monasterium praefatum necessariis officinis optime munitum, possessionibusque et temporalibus bonis satis abundans, venerabilis ille Abbas religioni nostrae cedendo obtulit. ». Fol. 19, 20. Quod factum est a Gregorio pp. XI, suis litteris datis *Avin.* XII Kal. martii, anno III (1373). Cf. LAMI, *Memorabilia Ecclesiae Florentinae*, Florentiae, M.DCC.LVIII, I, 27-34; 573-589.

(3) A Kal. maii 1375 ad Kal. maias 1378: obiit an. 1401. Cf. TONDI, *I fasti*, p. 24-26.

(4) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, I, 31; TONDI, *op. cit.*, p. 25.

(5) A Kal. maii 1378 ad Kal. maias 1381.

ac a sede apostolica indultum | est ordini nostro, ut tribus diebus maioris hebdomade, fiat apud nos | officium divinum, sicut Ecclesia Romana facit (1). Huius tempore habitum | est monasterium Sancti Pontiani de Lucha; anno domini 1379 (2). Insuper mo | nasterium Sancti Johannis de Venda, Paduane diocesis, idest anno Domini 1380 (3).

XIV.

Quartus decimus abbas fuit frater Salvius de Florentia, et duravit | annis tribus (4). Huius tempore ordinatum fuit, quod videantur rationes | cellerariorum, semel in duobus mensibus; et habitum est monasterium | Sancti Benedicti de Pistorio, idest anno primo (5).

XIV. Salvius Doni Florentinus (1381-1384).

Fol. 11'.

XV.

Quintus decimus abbas fuit frater Jacobus Thadej de Aretio, | et duravit annis tribus (6). Huius tempore habitum est monasterium Sancte Mar | garite de Cortorio (7),

XV. Jacobus Taddei Aretinus (1384-1387).

---

(1) Diplomate Gregorii XI, dat. apud S. Petrum, XII Kal. aprilis, pontificatus anno septimo (1377). (REGISTR. OLIV., I, 65).

(2) LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 161; FAMILIARUM TAB., II, an. 1379, p. 3; TONDI, *I fasti*, p. 72.

(3) LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 166; FAMILIARUM TAB., II, an. 1380, p. 5.

(4) A Kalendis maii 1381 ad Kalendas maias 1384.

(5) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 170; G. BEANI, *La Chiesa Pistoiese dalla sua origine ai tempi nostri*, Pistoia, 1883, p. 133; FAMILIAR. TAB., II, an. 1381, p. 8.

(6) A Kalendis maii 1384 ad Kal. maias 1387.

(7) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, I, 32. Hoc monasterium quinque annis nostri possident, nempe ab an. 1385 ad an. 1390, antea sub Sancti Basilii titulo, deinde vero a S. Margarita Cortonensi nuncupatum. Audiatur Cl. Decanus Caietanus Lorinius: « Per provvedere all'ufficiatura della nuova chiesa, furono aggiunti all'antico rettore di San Basilio alcuni ter-

et monasterium Sancte Marie Nove de Came | rino, que

---

ziarii francescani, che vi stettero fino al 1385: nel quale anno Uguccio Urbani Casali, V Signore di Cortona e Vicario Imperiale pensò di affidar la custodia del Santuario a Comunità religiosa claustrale. E poichè era allora in grande estimazione la nuova Congregazione dei Monaci di Monte Oliveto Maggiore, sorta nello stato senese, la offrì ai padri di questo Istituto, che, presone il possesso, lo tennero cinque anni, e nel 1390, in tutta forma solenne vi rinunziarono. In sulle prime molto dispiacque ai Cortonesi questa determinazione: ma, considerando bene gli avvenimenti, quella inaspettata rinunzia ebbe qualche cosa di provvidenziale. E non già perchè il Santuario non fosse bene affidato, ma perchè apriva la via all'attuazione di una profezia fatta da Cristo alla Santa (Margherita) mentre era in vita: voglio dire la profezia con la quale le avea promesso che il suo corpo, dopo lungo tempo, venuto in possesso dei Padri Minori, sarebbe sempre stato da loro custodito. » LORINI, *Vita di S. Margherita da Cortona, pubblicata nel VI centenario dalla di Lei morte*, Siena, Tip. S. Bernardino, 1897, p. 331, 332; Cf. P. AMBR. MARIANI, *Reminiscenze d'un pellegrino*, Firenze, 1882, p. 174.

Excipias nunc ex FAMILIARUM TABULIS nomina Monachorum, qui monasterium S. Margaritae, quolibet anno, incoluere.

Anno 1386
- *Prior:* fr. Bartholomeus Cecchi de Senis.
- *Cellerarius:* fr. Franciscus Paulini de Perusio.
- *Coadiutor eius:* fr. Dominicus de Prato.
- *Magister Novitiorum:* fr. Pace Morelli de Florentia.
- *Sacrista:* fr. Jacobus faber de Eugubio.
- *Conventuales:* fr. Franciscus de Frigolis.
- » fr. Paulus Bandini de Aretio.
- » fr. Philippus pictor de Perusio.

Anno 1387
- *P.:* fr. Bartholomeus Cecchi de Senis.
- *C.:* fr. Dominicus de Prato.
- *M. N.:* fr. Johannes Cole de Perusio.
- *S.:* fr. Philippus faber de Eugubio.
- *Conv.:* fr. Mattheolus de Eugubio, *conversus*.
- » fr. Gherardus Vannis de Pisis.
- » fr. Pace Morelli de Florentia.
- » fr. Philippus pictor de Perusio.
- » fr. Joachinus de Perusio.

processu temporis dimissa sunt (1). Iste sepultus est in mon | te Oliveto (2).

XVI.

Sextus decimus abbas fuit frater Duccius Bertholini de Are | tio, et duravit annis tribus (3). Huius tempore ordinatum est, quod | nullus frater iret solus, prout in constitutionibus continetur (4). Iste | cepit hedificare reffecto-

XVI. Duccius Bartolini Aretinus (1387-1390).

Anno 1388 { *P.:* fr. Laurentius de Castro Sancti Johannis.
C.: fr. Johannis Cole de Perusio.
M. N.: fr. Gerardus Vannis de Pisis.
S.: fr. Philippus faber de Eugubio.
Conv.: fr. Mactheolus de Eugubio, *conversus.*
» fr. Costantius de Perusio.
» fr. Pace, Joachinus, Philippus, *ut an. 1387.*

Anno 1389 { *P.:* fr. Laurentius Bichi de Castro S. Johannis.
C.: fr. Marcus de Castiglione.
M. N.: fr. Macteus Henrici de Aretio.
S.: fr. Philippus Mascioli de Eugubio.
Conv.: fr. Pace Morelli de Florentia.
» fr. Lucas de Yspania.
» fr. Macteolus, Philippus, *ut an. 1388.*

(Ex Familiarum Tabula, *ab anno 1379 ad 1458,* II, pp. 18', 20', 22', 24').

(1) Cf. Lancellotti, *op. cit.,* 265; Familiar. Tabul., II, an. 1386, p. 18'.

Qua vero de causa, haec duo monasteria a nostris dimissa sint, non satis clare apparet. Nam et in ipso *Chron. Cancell.* haec tantum de hisce duobus cœnobiis leguntur: « Verum haec duo monasteria, utpote ipsius religionis statui salutari, ex causis, quas hic brevitatis gratia praetermittimus, valde contraria, immo perniciosa; post nonnulla annorum curricula Patres dimittenda esse censuerunt: quod et factum est. » Fol. 20.

(2) Obiit anno 1401 (*Necrol. Oliv.,* ad annum).

(3) A Kalendis maii 1387 ad Kal. maias 1390. Cf. Tondi, *op. cit.,* p. 29.

(4) Cf. *In Constitutiones Ordinis Montis Oliveti,* Bononiae, M. D. LIX, pars II, n. 40, p. 87.

rium magnum, quod nunc extat in Monasterio principali, | anno tertio sui abbatiatus (1). Iste fuit religiosus et spiritualis, licet parum litteratus.

XVII.

XVII. Hyppolitus Mediolanensis (1390-1393).

Decimus septimus abbas fuit frater Ypolitus de Mediola | no, et duravit annis tribus (2). Hic complevit opus refectorii | quod per predecessorem suum ceptum fuerat. Huius tempore habitum est | monasterium Sancti Jeronimi de Janua, anno primo 1390 (3). Anno autem | secundo factum fuit Capitulum generale in monasterio Sancti Benedicti | de Pistorio, propter guerras que in territorio et partibus Senarum | vigebant (4). Et ordinatum est de reformatione

---

(1) Cf. G. Thomas, *L'Abbaye de Mont-Olivet-Majeur*, 1898, p. 172.

(2) A Kal. maii 1390 ad Kal. maias 1393. Cf. Tondi, *op. cit.*, p. 30.

(3) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 171; Familiar. Tab., II, an. 1390, p. 26'.

De monasterio Genuensi haec traduntur in *Chron. Cancell.*: « Huius Abbatis tempore, reverendus domnus Alphonsus Genuensis Antistes monasterium in honorem et sub vocabulo sancti Hieronymi doctoris, in villa Quarti, eiusdem diœcesis, a solo a se constructum congregationi nostrae offerens, ibidem requiei suae statuit sepulturam. ». Fol. 20'.

Huius monasterii historiam erudite conscripsit cl. Sacerdos Camuliensis D. Nicolaus Schiappacasse, nuper nobis ereptus; sed typis nondum mandatam esse dolet.

(4) Cf. *Annales Senenses* in Muratori, *R. I. S.*, XIX, 393-397. Audias quae synchronus tradit scriptor (in Familiar. Tab., II, an. 1391, p. 27), de hisce rebus: « quum ex forma constitutionum nostrarum Capitulum generale nostrum annuatim debet celebrari in nostro principali Monasterio Sancte Marie Montis Oliveti, sed propter circuminantia nunc guerrarum pericula, non sit habile nec tutum, in dicto loco dictum Capitulum celebrari: ideo non derogando juri dicti Monasterii et ipsius fratrum, Capituli et Conventus, ex dictis

constitutionum | ordinis et sic fuerunt correcte et ordinate, anno Domini | 1392, per capitulum generale. Hic fuit vir valde utilis ordini | nostro. Exemplar in omnibus, in gestu corporis et gravitate | morum. Gravis aspectu, apparentie venerabilis, et ma | gne observantie. Hic ornavit religionem plurimis ho | nestis ac devotis cerimoniis et constitutionibus, dilectus a | multitudine fratrum. Invisus quibusdam patribus ordinis. Fol. 12.

XVIII.

XVIII. Laurentius Ser Nicolai Perusinus (1393-1396).

Decimus octavus abbas fuit frater Laurentius Ser Nicolai | de Perusio, et duravit annis tribus (1). Huius tempore constitutum | est, quod nullus frater habens licentiam ab abbate vel visitato | re, veniendi ad capitulum, non possit eligi pro voce | sui conventus, ad eundum ad capitulum; et hoc propter fraudem, | que posset fieri. Item fuit ordinatum in capitulo, quod in refec | torio ad comestionem, quilibet frater haberet portionem plactan | tie de per se. Nam antea duobus fratribus simul dabatur. | Hic fuit vir prudens et zelans pro ordine. Hic fecit | fundare palatium quod nunc

---

constitutionibus vel alias qualitercumque quesito, ubi per futura tempora, in prefato nostro monasterio dictum generale Capitulum tute valeat celebrari; sed potius freti juris comunis remedio ex forma consilii super tali materia per juris peritos dati, clarius apparenti; scilicet, quod in casu predicto, quando non potest celebrari Capitulum in principali monasterio nostro propter impedimenta guerrarum, vel alio quomodocumque, tunc celebrari possit et debeat in loco alio, dicto monasterio subdito tutiori. Presens nostrum Capitulum generale in loco et Monasterio Sancti Benedicti de Pistorio, dictis principali Monasterio et Ordini subdito et unito, duximus, tamquam in loco tuto, prout de jure et facto melius valuimus, celebrandum.... ».

(1) A Kal. maii 1393, ad Kal. maias 1396. Cf. Familiar. Tab., II, p. 33; Tondi, *op. cit.*, p. 31.

est ante introitum podii, antequam | veniatur ad monasterium, et construi fecit pro maxima parte (1).

XIX.

XIX. Matthaeus Landini Pratensis (1396-1399).

Decimus nonus abbas fuit frater Matheus Landini de | Prato, et duravit annis tribus, secundo electus (2). Huius tempore habitum | est monasterium Sancte Catherine de Fabriano, idest anno domini 1398. Quod | ordini nostro venerabilis pater frater Johannes de Fabriano, prior | eiusdem monasterii tradidit et omnes monachos suos una secum (3).

XX.

XX. Hyppolitus Mediolanensis (1399-1402).

Vigesimus abbas fuit frater Ypolitus de Mediolano, qui supra, | secundo electus est, et duravit annis tribus (4). Hic cepit [h]edifi | care ecclesiam magnam, que nunc extat in Monasterio principali (5). Hic post officium | sui abbatiatus et etiam prius substinuit multas persecutiones, | multis modis ab aliquibus ex patribus ordinis. Ita ut tedio | affectus, ac pusillanimitate victus transtulerit se ad ordi | nem Cartusiensium. Set prudentia quorundam patrum presertim fratris | Laurentini de Aretio reversus est ad religionem (*a*), antequam habitum | illius ordinis reciperet (6).

(*a*) Text. B: *Ad ordinem nostrum.*

(1) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, I, 33; Thomas, *op. cit.*, p. 105.
(2) A Kal. maii 1396 ad Kal. maias 1399.
(3) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, I, 34; II, 175; Familiar. Tab., II, an. 1398, p. 51'.
(4) A Kalendis maii 1399 ad Kal. maias 1402. Cf. Familiar. Tab., II, p. 53.
(5) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, I, 34; Thomas, *op. cit.*, p. 111.
(6) Additur in *Chron. Cancell.* (fol. 21'): « Anno abbatiatus sui secundo idest Millesimo CCCC^mo anno, monasterium San-

Hic sepultus est in monasterio Sancte Marie Montis Morcini de Perusio (1).

XXI.

XXI. Duccius Aretinus (1402-1405). Fol. 12'.

Vigesimus primus abbas fuit frater Ducius de Aretio, qui supra, secundo electus est, et duravit annis tribus (2).

XXII.

XXII. Hieronymus Sancti Perusinus (1405-1408).

Vigesimus secundus abbas fuit frater Jeronimus de Perusio, et | duravit annus tribus (3). Huius tempore, idest anno Domini 1407, habitum est | monasterium Sancti Bartholomei de Prato (4). Hic fuit vir scolasticus, | parcus in victu; vir bonus, non tamen multum occulatus in agendis. | Ultimo anno sui abbatiatus habitum est monasterium Sancte Helene de Venetiis (5).

---

ctae Mariae in villa Bedagii, diocesis Mediolanensis, ab ipsa civitate per quatuor milia passuum distans habitum fuit. Quod quidem magnificus et generosus eques domnus Balsarinus de nobilibus de Pusterla, sumptibus suis extructum, possessionibus optime dotatum, librisque et paramentis sacris pro divinis celebrandis ac omnibus denique oportunis rebus sufficienter, munitum congregationi nostrae obtulit. » Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 166.

(1) Obiit anno 1406 (*Necrol. Oliv.*, ad annum). Cf. Belforti, *op. cit.*, p. 128.

(2) A Kal. maii 1402 ad Kal. maias 1405. Cf. Familiar. Tab., II, p. 63.

(3) A Kal. maii 1405 ad Kal. maias 1408. Cf. Familiar. Tab., II, p. 76.

(4) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 179; Familiar. Tab., II, an. 1407, p. 87'.

(5) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 180; Familiar. Tab., II, an. 1408, p. 92'; Tondi, *op. cit.*, p. 33.

XXIII.

XXIII. Johannes Urbevetanus (1408-1411).

Vigesimus tertius abbas fuit frater Johannes de Urbeveteri, | et duravit annis tribus (1). Primo anno sui abbatiatus concessum fuit | ordini nostro per papam Gregorium XII[m] monasterium Sancte Justine de Padua, | et fecerunt fratres ingressum (2). Set propter incautelam il-

(1) A Kal. maii 1408 ad Kal. maias 1411. Cf. FAMILIAR. TAB., II, p. 89.

(2) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, I, 34; REGISTR. OLIV., II, 2. — Gregorius XII, suis litteris, datis « Lucae, X Kal. Junii, anno II » [1408], nostros vocavit ad cœnobium patavinum S. Justinae « ad reformationem dicti monasterii in spiritualibus et temporalibus ». Cf. orig. in REGISTR. OLIV., II, 2.

Statim ac Gregorius XII suas dedit litteras, abbas generalis Johannes de Urbeveteri, Patavium misit familiam monasticam, quae hisce monachis componebatur, sicuti legitur in FAMILIARUM TAB., ad annum 1408 (p. 92):

An. 1408: In loco Sancte Justinae de Padua.

Abbas: fr. Franciscus de Padua.
Cell.: fr. Franciscus Minucii de Senis.
Mag. Nov.: fr. Bartholomeus de Mantua.
Sacrista: fr. Simon de Imola.
Conventuales: fr. Johannes de Burgundia.
» fr. Antonius de Crevalcore.
» fr. Angelus de Ferraria.
» fr. Antonius de Eugubio.
» fr. Marianus de Luca.
» fr. Bartholomeus magistri Johannis de Bononia.
» fr. Jacobus de Faventia.
» fr. Bartholomeus de Gasparrinis de Bononia.
» fr. Nicolaus de Montepolitiano.
» fr. Franciscus de Placentia.
» fr. Baldassar de Perusio.
» fr. Henricus de Alemania, *novitius.*

Anno 1409.

Abbas: fr. Francischus Angelini de Senis.

lorum, qui prefuerunt | illi operi, per dominium venetorum remoti sunt fratres, et licentiati; | et illud monasterium dederunt cuidam nobili suo, civi Venetia | rum; qui processu temporis magnum fructum fecit; et incepit | in illo loco religionem, que vocatur ad presens Sancte Justine (1). Item

(1) Hujus Congregationis primus fundator, ac praecipuus director, et institutor, quondam abbas S. Justinae Paduanae, fuit Rev. P. Ludovicus Barbo, vir vere sanctus, magnaque virtute praeditus. Cf. *Constitutiones Patrum Congregationis Casinensis*, Venetiis, M.D.LXXX, pars II, p. 37; L. Tosti, *Storia della Badia di Montecassino*, Roma, 1890, III, 188, 189; J. Cavacio, *Historiarum Coenobii D. Justinae Patavinae Libri sex*, Patavii, M.DC.XCVI, lib. V, p. 197 seqq.

Sequentibus verbis et nostram renuntiationem et possessionem factam a Ludovico Barbo de Monasterio Patavino enarrat *Chron. Cancell.:* « ... Domno Gregorio XII... concedente, monasterium Sanctae Justinae Patavinum (expeditis iuxta romanae curiae morem auctenticis et iuridicis bullis) congregatio nostra est consequuta. In quod facto ingressu, et corporali ac iuridica possessione suscepta, per annos circiter duos monachi nostri in eo permanserunt. Verum quia saecularis potentatus haec diebus nostris esse solet ambitio, ut ecclesiarum et beneficiorum in dominii sui iure existentium bonis proprios magis quam alienos cives frui velint, Venetorum domini Christi famulos potentia sua opprimentes, praefatum monasterium relinquere compulerunt. Qui conditione adiecta, ut videlicet, qui in eodem Abbas praeficiendus esset, regularem observantiam constituere teneretur, propriis bullis renuntiare consenserunt. Dimissum itaque a Patribus nostris monasterium illud, nobili cuidam veneto Ludovico Barbo, viro reverendo et sancto ibidem abbati constituto, traditum est. Quod ex divina et voluntate et ordinatione gestum non ambigimus; quum ex hoc uberiorem fructum ecclesiae suae Dominus provenire voluerit. Siquidem in eandem abbatiam cœnobialem observantiam abbate praefato introducente, et Deo desuper benedictionem suam, multorum et monasteriorum et spiritualium filiorum mater effecta congregationem servorum Dei venerabilium valde patrum, quae Monachorum Sanctae Justinae nuncupatur, omnipotenti Deo in Christo meruit parturire... ». Fol. 22, 22'.

ultimo anno .abbatiatus sui, habitum est monasterium Sancte Marie | de Neapoli (1). Hic fuit vir scholasticus et doctus, ac astu | tus; et erat claudus. Hic prosecutus est constructionem ecclesie | monasterii principalis valenter (2).

XXIV.

XXIV. Laurentius Ser Nicolai Perusinus (1411-1414).

Vigesimus quartus abbas fuit frater Laurentius de Perusio, et dura | vit annis tribus (3), secundo electus. Hic complevit opus palatii, | quod in primo abbatiatu suo inceperat (4). Sepultus est in monasterio principali Montis Oliveti (5).

XXV.

XXV. Laurentinus Marsupinus de Aretio (1414-1417).

Vigesimus quintus abbas fuit frater Laurentinus de Aretio, et | duravit annis tribus (6). Iste complevit cooperire ecclesiam mona | sterij principalis; ita ut fratres potuerunt habitare et officium in ea | celebrare (7). Hic fuit vir sagax et fervens in bonis observantiis regularibus.

XXVI.

XXVI. Hieronymus

Vigesimus sextus abbas fuit frater Jeronimus | de Neapoli, et duravit annis tribus (8). Hic fuit vir scolasti |

(1) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit*,, II, 184; FAMILIAR. TAB., II, an. 1410, p. 100'.

(2) Cf. THOMAS, *op. cit.*, p. 113.

(3) A Kalendis maii 1411 ad Kal. maias 1414. Cfr. FAMILIAR. TAB., II, p. 102.

(4) Cf. THOMAS, *op. cit.*, p. 105.

(5) Obiit anno 1417 (*Necrol. Oliv.*, ad annum).

(6) A Kal. maii 1414 ad Kal. maias 1417. Cf. FAMILIAR. TAB., II, p. 115.

(7) Cf. THOMAS, *op. cit.*, p. 113.

(8) A Kalendis maii 1417 ad Kal. maias 1420. Cf. FAMILIAR. TAB., II, p. 125.

cus, etate iuvenis (*a*), utpote annorum 29, quando electus est. Set erat | moribus senex, gravis in moribus, et valde exemplaris; sta | tura magnus. Valde doctus et presertim in divinis voluminibus. | Parcissimus in cibo et potu. Vigil supra modum; ita ut diceret, | quod solum quatuor horis dormiret in nocte. Multum tempus | occupabat in scribendo; ut copiam plurimorum librorum posset pe | nes se habere. In sermocinando in capitulo generali copiosus et splendi | dus erat. Huius tempore, in primo anno sui abbatiatus, fuit quidam frater Gen | tilis nomine, natione Mutinensis, set statione Bononiensis. Qui prius tractave | rat cum quibusdam fratribus nostris rebellare ab ordine (*b*), monasterium | Sancte Helene de Venetiis, sub pretextu maioris observantie faciende, et | habuit colloquium cum aliquibus nobilibus civibus venetis, et ali | quibus mercatoribus, qui omnes noluerunt aquiescere. Set cum res | ad aures abbatis generalis venisset, misit Venetias fratres, | ut caperetur et mitteretur in custodiam. Set cum res ei secreto innotuis | set, rapuit fugam, et demum transtulit se ad concilium genera | le, quod tunc celebrabatur Constantie; in quo concilio erat papa Martinus quin | tus, noviter electus (1); et multa apud eum retulit, in derogantiam | ordinis nostri, allegando, quod ordo noster erat in magna divisione, | et plura alia, sicut ei placuit. Ex qua re predictus papa Martinus, | habens mittere in Italiam magistrum Leonardum [de] Florentia, generalem | fratrum predicatorum, imposuit illi, ut ordinem nostrum visitaret, | et provideret illi. Qua de re cum applicuisset Florentie, fecit | convocare ibi abbatem generalem, et cum eo venerunt plures ex | patribus ordinis, scilicet frater Johannes de Urbe veteri,

Mirabullius a Neapoli (1417-1420).

Fol. 13.

(*a*) Text. B: *Idoneus*. — (*b*) Text. B: *ad ordinem*.

(1) Martinus V eligebatur in Concilio Constantiensi, an. 1417, die 11 novembris: et hoc anno fr. Gentilis petiit concilium, ut de ordine nostro, nostrisque rebus turpiter ageret.

frater Jeronimus de Per | usio, frater Petrus de Sardinià, frater Nicolaus de Ariano, frater Pe | trus de Neapoli. Hij
Fol. 13'. omnes erant doctissimi viri, qui omnes | obtulerunt se predicto generali predicatorum, et concorditer affir | maverunt, nullam habere in se divisionem ; set omnes esse bono animo, | ad bonum et profectum ordinis. Et ipse abbas testificatus est, | sic esse ; et omnes fratres sub eius obedientia fideliter vivere. Quod predictus | generalis, vir prudens et doctus, bene omnia considerans, intel | lexit fratrem Gentilem accusatorem, virum iniquum, et | malum esse ; et repulit a se ; et consulit abbatem et alios fratres, | ut in ordine nostro amplius non reciperetur ; et sic factum est. Post | modum bene edificatus de regimine ordinis nostri, licentiavit | abbatem et alios fratres, qui ibi venerant, ut in pace irent (1). Huius | tempore, idest anno primo sui abbatiatus, habitum est monasterium | Sancti Georgii de Ferraria, quod ordini nostro procuravit Domnus Ni | colaus Marchio [E]stensis (*a*), dominus Ferrarie, ex devotione quam | ordini nostro habebat (2).

XXVII.

XXVII. Johannes Urbevetanus (1420-1423).

Vigesimus septimus abbas [fuit] frater Johannes de Urbe veteri, qui supra, | secundo electus, et duravit annis tribus (3). Huius tempore habitum est monasterium | Sancte Marie Annunciate de Arimino, idest 1422, set fratres non | habitaverunt illud ad annos Domini 1430, quia non era[n]t

---

(*a*) Text. A, B: *Ostiensis.*

(1) Cfr. LANCELLOTTI, *op. cit.*, I, 39, 40; *Chron. Cancell.*, fol. 24, 25.

(2) Cfr. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 195; FAMILIAR. TAB., II, an. 1417, p. 127.

(3) A Kal. maii 1420 ad Kal. maias 1423. Cf. FAMILIAR. TAB., II, p. 132.

offi | cine congrue: set paulatim per domnum Episcopum Ariminensem, qui curam | hujus operis et redditus illius monasterii habebat, prosecuta sunt, | licet parum. Quod monasterium tradidit domnus Charolus (*a*) de | Malatestis, dominus Arimini, et multa promisit facere pro illo | monasterio, set pauca perfecit, propter adversa que ei acciderunt; et postmo | dum in morte reliquit aliquas magnas | possessiones illi Monasterio, | dummodo fratres vellent ire ad habitandum quod fratres acceptaverunt | et iverunt ad habitandum (1). Tempore quo supra, in isto abbatiatu suo, non | multum utilis fuit ordini. Anno suo secundo, cepit hedificare sa | cristiam Monasterii principalis, et perfecit tempore suo (2). Fol. 14.

XXVIII.

XXVIII. Hieronymus Sancti Perusinus (1423-1426).

Vigesimus octavus abbas fuit frater Jeronimus de Perusio, qui supra, secundo electus, | et duravit annis tribus (3). Huius tempore 1425, habitum est monasterium Sancti Severi | de Urbe veteri (4). Sepultus

(*a*) Text. B: *Nicolaus.*

(1) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 199; FAMILIAR. TAB., II, an. 1422, p. 138'; TONDI, *op. cit.*, p. 37.

(2) THOMAS, *op. cit.*, p. 134.

(3) A Kalendis maii 1423 ad Kal. maias 1426. Cf. FAMILIAR. TAB., II, p. 139.

(4) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, I, 38. Habuimus ab anno 1425 usque ad 1449. Cf. FAMILIAR. TAB., II, 146', 211.

Quod monasterium commendatum possidebant Praemonstratenses. Ut autem omnia, quae de ipso cœnobio Urbevetano proferamus, hoc unum accipe monumentum, nempe quietationem factam per R.mum Domnum Card. Petrum Barbo (Paulum deinde II), commendatarium S. Severi Urbevetani, sub an. 1449, die 20 decembris, in favorem Johannis Pistoriensis, tunc abbatis monasterii Roffensis, ordinis Montis Oliveti, et eiusdem cœnobii procuratoris:

« Petrus miseratione divina Sancte Marie Nove, sacrosancte

est in monasterio Sancte Marie montis Mor | cini de Perusio (1).

XXIX.

XXIX. Andraeas Bononiensis (1426-1429).

Vigesimus nonus abbas fuit frater Andreas de Bononia, et du | ravit annis tribus (2). Huius tempore habitum est

---

Romane Ecclesie diaconus cardinalis commendatarius perpetuus monasterii sancti Severi extra muros Urbevetanos ordinis Premonstratensis. Venerabili in Christo patri et domno Johanni abbati monasterii sanctorum Philippi et Jacobi de villa Ruffene, ordinis Montis Oliveti, aretine diocesis, in dicto monasterio sancti Severi procuratori nostro, salutem in domino sempiternam. Plenius informati quod vos, omnes et singulos fructus, redditus et proventus eiusdem monasterii sancti Severi, nobis, ut premittitur, commendati, per vos usque in presentem diem quomodocumque habitos, exactos, receptos et levatos, pro evidenti necessitate usui, victui et vestitu eiusdem monasterii, monachorum et conventus, ac alias in ipsius monasterii evidentem utilitatem, commodum et reparationem integraliter exposuistis et dispensastis. Igitur per nos et successores nostros de huiusmodi fructibus, redditibus et proventibus, vos et successores vestros quietamus, liberamus et absolvimus, ac fructus, redditus ac proventus huiusmodi pro necessitate, usu, victu et vestitu predictis, ac in utilitatem, commodum et reparationem, sicut predicitur, per vos expositos et dispensatos fuisse et esse confitemur, et contentos vocamus. Ita quod de illis nobis et successoribus nostris predictis, aut monachis et conventui prefatis, rationem et computum reddere, vel ostendere, seu de, et pro illis satisfactionem aliquam facere nullatenus teneamini. In quorum fidem, robur et testimonium praemissorum, presentes litteras fieri, et nostro, quo utimur, impressione, sigillo, iussimus communiri. Datum Rome apud sanctum Marcum, in domibus nostre solite residentie, sub anno a nativitate Domini Millesimo quadringentesimo quadragesimo nono, die sabbati, vicesima mensis decembris, pontificatus sanctissimi in Christo Patris et domni nostri domni Nicolai divina providentia pape quinti, anno tertio. » REGISTR. OLIV., II, 31.

(1) Obiit anno 1433 (*Necrol. Oliv.*, ad annum).

(2) A Kal. maii 1426 ad Kal. maias 1429.

monasterium Sanctorum Angeli et | Nicolay de Laude, idest 1427 (1). Quod ordini nostro tradidit domnus | Cardinalis Laudensis (2). Huius tempore facta est forestaria, que | contigua est reffectorio, et penes introitum monasterii *(a)* (3).

XXX.

Trigesimus abbas fuit frater Johannes de Urbe Veteri, qui supra tertio electus, | et duravit annis duobus (4). In ista electione maxima prati | ca est facta, et non parva discordia inter patres ordinis exorta, | licet prius incepisset. Ipse procuravit sibi abbatiatum, cum con | scius esset cuiusdam bulle papalis, quam alias ipse secreto fe | cerat impetrare, scilicet, ut quicumque frater procuraret electionem ab | batis inordinata affectione, excommunicationem incurre | ret; et dicebat, se non esse abbatem. Postquam electus fuit, per | aliquot menses, fecit consulere peritum doctorem Senensem, super | hac re secreto. Set decipit conscentiam suam, non exprimendo | realem veritatem. Hic cogitabat et procurabat, ut abbas ge | neralis posset confirmari, et esse perpetuus, set fratres non acquieverunt. | Hic voluit procurare reformationem, et misit Romam ad Cardinalem Sancte Crucis (5), ut dignaretur procurare cum

XXX. Johannes Urbevetanus (1429-1431).

(a) Text. B: *Monasterii Montis Oliveti.*

(1) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, I, 39; II, 205; Giov. Agnelli, *Memorie sul Comune e sull'antica Chiesa abbaziale di Villanova* in *Arch. Stor. di Lodi*, XIII, dispensa III e IV (1894), p. 97-168; Familiar. Tab., II, an. 1427, p. 151'.

(2) Card. Angelus Summariva (✝ 1428).

(3) Cf. Thomas, *op. cit.*, p. 171.

(4) A Kal. maii 1429 ad Kal. maias 1431. Cf. Familiar. Tab., II, p. 154.

(5) Card. Nicolaus Albergati [✝ 1443]. Vir iste, vere sanctus, honor ordinis Carthusianorum, Congregationi nostrae multum profuit. Noster Besozzi de ipso tradit: « Hic Cardinalis,

domino papa | Martino quinto, et ab eo habere auctoritatem super reforma | tionem ordinis. Putavit socium decipere, et ipse deceptus est. | Nam ipse domnus Cardinalis accep-
Fol. 14'. tavit; set per domnum papam | Martinum dati sunt domnus, Cardinalis Sancte Crucis supradictus, et | domnus Cardinalis sancti Marcelli (1), qui essent reformatores, et | protectores ordinis, durante eorum vita naturali. Et ipsi convo | caverunt predictum abbatem et socios ejus et alios patres or | dinis Romam. Et ibi magna discussio facta est fere per | tres menses. Et primo absolverunt ipsum abbatem ab excomu | nicatione et irregularitate, quas incurrerat, propter procura | tionem officii abbatiatus sui, ut supra diximus. Postmodum fece | runt et ordinaverunt alium modum in regimine ordinis, quam | prius esset. Et hoc per bullas suas (2), scilicet ut abbas generalis ha | beat sex socios visitatores, cum quibus omnia facta ordinis disponat. | Et quod secundo anno petat absolutionem ab officio suo, et quod secundum | dicetur prout nunc fit, et ut in eorum privilegiis latius con | tinetur (3). Hic secundo anno officii sui petiit absolutionem ab officio, | et absolutus est. Mortuusque est ac sepultus in monasterio Mon | tis Oli[v]eti (4).

---

anno 1429, una simul cum Card. Antonio Castino (Cassinio), declaratur a Martino quinto, nostrarum Constitutionum Reformator, Visitator, Corrector, usque dum aetatem agerent. Ex quo habes, quare inter ordinationes hujus temporis legatur constitutio, ne generalis abbas a Monte Oliveto Maiori ultra 8 miliaria discedat, quam Chartusianorum placitis, multum affinem nemo non videt. » *Constitutiones Olivetanae notis illustratae*, I, p. XVIII, XIX.

(1) Card. Antonius Casinius († 1439).

(2) Reformationes constitutionum ab hisce duobus Cardinalibus factae, habentur in REGISTR. OLIV., II, 22, 24, 25, triplici diplomate ann. 1430, 1432, 1438.

(3) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, I, 39, 40.

(4) Obiit anno 1432 (*Necrol. Oliv.*, ad annum).

XXXI.

Trigesimus primus abbas fuit frater Jeronimus de Neapoli, | qui supra, secundo electus est, et duravit annis quatuor (1). Nam in capitulo, | quo electus est, deliberatum est, quod abbas habeat, secundo | sui officii anno completo, petere absolutionem ab officio suo. Quod | si viderint fratres, non esse fienda sibi munia, possit et debeat | reconfirmari, per aliud sequens biennium, et sic quod capitulum genera | le fiat de biennio in biennium. Nam prius fiebat annuatim. | Huius tempore, idest anno primo, quidam priores et quidam visi | tatores ordinis, absque licentia capituli generalis, et voluntate, | impetraverunt a Sede Apostolica, quod ad electionem generalis | abbatis fiendam, non habere[nt] vocem nisi soli prelati. Ex qua re, | cum ad notitiam multitudinis pervenisset hoc factum, maxima | murmuratio orta est in ordine, et tempestas valida, ita | ut periclitata sit religio. Et multum de ea dubitabatur ; | tamen bonitate Dei et orationibus bonorum fratrum adiuta est in fine. | Nam de hac re, per aliquos fratres, appellatum est ad Sedem | Apostolicam. Cui preerat Eugenius quartus, et residentiam tunc | Florentie faciebat (2); et plura allata sunt ab utraque parte. Nam | abbas et plures alii ex patribus petebant et volebant, quod res | sic staret, ut impetratum fuerat. Alii vero, ex quibus aliqui | visitatores et priores erant, et quam plures conventuales, nolebant | assentire, quod ad electionem abbatis excluderentur voces conven | tuum. Unde post multa deliberatum est, per sedem apo-

XXXI. Hieronymus Miraballius a Neapoli. (1431-1435).

Fol. 15.

(1) A Kalendis maii 1431 ad Dominicam III post Pascha, 28 maii 1435. Cf. FAMILIAR. TAB., II, p. 159.

(2) Eugenius IV concilium Florentiam Ferraria transtulit an. 1439; ipse vero summus Pontifex jam Florentiae morabatur a die 23 Junii an. 1434. Cf. *Istorie di Firenze* in MURATORI, *R. I. S.*, XIX, 976.

stolicam, | ut capitulum quod proxime celebrandum erat, fieret Flo | rentie, in quo omnes qui vellent venire, possent, ut sic | audiretur voluntas omnium fratrum. Set iterum per aliquos probos | fratres, antequam capitulum intrarent, tractatum est, de concordia, ne ru | mor cresceret, si omnes convenirent prius: et sic facta aliqua | concordia, mitigate sunt animositates plurimorum; et factum | est capitulum in Sancto Bartholomeo de Florentia (1). Et ad electionem novi | abbatis convenerunt, ut publice fieret, et non per secretum scrup | tinium, et ad hoc papa prebuit consensum; nam alias non | tenuisset: et sic concorditer electus [est] frater Laurentinus | de Aretio. Iste fuit bonus religiosus, qui sepultus est | in monasterio Sancti Bartholomei de Florentia.

XXXII.

XXXII. Laurentinus Marsupinus de Aretio (1435-1439).

Trigesimus secundus abbas fuit frater Laurentinus de | Aretio, qui supra, secundo electus, et duravit annis quatuor, et hic e | lectus est publica voce in capitulo, ut su-

---

(1) Quae a Bargensi afferuntur de capitulo, Florentiae habito in Monasterio S. Bartholomaei, ad an. 1435 pertinent. Cf. *Chron. Cancell.*, fol. 27'; Besozzi, *Constitutiones*, I, 48; Lancellotti, *Histor. Oliv.*, I, 41.

Capitulum vero, an. 1433 celebratum, sub abbate Hieronymo de Neapoli, in Monasterio Ariminensi, urgente necessitate, bellorumque incomodis, coadunatum fuisse constat.

Scriptor enim synchronus, in Familiar. Tab. (II, an. 1433, p. 165) ita habet: « Cum esset guerra in partibus Senarum et Florentie et per totam Tusciam talis ac tanta, quod nullo modo potuisset in loco principalis monasterii [M. O. M.] prelibatum capitulum celebrari, sicut retro actis temporibus fuerat consuetum: convocato, congregato et coadunato predicto generali capitulo priorum, prelatorum et fratrum ac monachorum predicti ordinis Montis Oliveti in Monasterio Sancte Marie Annunciate Nove, Ariminensis dioecesis, ejusdem ordinis etc. ». Capitulum hujus anni 1433 habitum est die III mensis maii, quae fuit Dominica III post Pascha.

pra diximus (1). Et in ipso | capitulo generali diffinitum est ut tam pro disponendis agendis | ordinis, quam ad electionem abbatis, unusquisque conventus de | beat unum tantum fratrem mittere ad capitulum, in societatem prioris | sui. Nam ab alio capitulo precedenti in antea, duo fratres poterant ve | nire ad capitulum, cum priore suo. Et hoc statutum est, per sedem | apostolicam (2): et sic paulatim omnia sedata sunt. Huius tempore idest, primo | anno, acceptatum est monasterium Sancte Margarite de Demi | sio in partibus Ungarie (3). Quod ordini nostro contulit illustrissimus | imperator Sygismundus. Set de hac acceptatione non bene suc | cessit ordini, quia valde dampnosum fuit animabus plurimorum fratrum: quia in remotis partibus non poterat visitari: et sic plura incon | venientia venerunt. Huius tempore factum est in Monasterio principali | dormitorium, quod contiguum est ecclesie, et super sepulcra fratrum | que nunc sunt; et facta est cisterna magna in claustro magno, | et inceptum est dormitorium, quod contiguum est muro sacri | stie, ubi sunt celle subtus et supra, et respiciunt ad orientem et | occidentem, et elevati sunt muri eius forte per brachia oc | to super terram. Hic multum augmentavit monasterium | Sancti Bernardi de Aretio in hedificiis, libris et paramentis. | Sepultus est in monasterio Sancti Miniatis de Florentia. Fol. 15'.

(1) Duravit in abbatiatu a Dominica III post Pascha an. 1435 (die 28 maii) usque ad Dominicam III post Pascha anni 1439 (diem 26 aprilis). Cf. FAMILIAR. TAB., II, p. 172, 181.

(2) Cf. REGISTR. OLIV., II, 24, 25.

(3) Cfr. LANCELLOTTI, *op. cit.*, I, 42; FAMILIAR. TAB., II, an. 1435, p. 174'. Videas quae superius de hoc monasterio tradidi, pag. XXXII.

XXXIII.

XXXIII. Joh. Baptista de Podiobonitio (1439-1443).

Trigesimus tertius abbas fuit frater Baptista de Podiobo | nici, et duravit annis quatuor (1). Huius tempore completum | est totum dormitorium, quod per predecessorem suum inceptum | fuerat; et fulcitum hostiis et lecticis; et coopertum et sta | bilitum [est]. Huius tempore, anno quarto sui abbatiatus, habitum est monasterium | Sancti Benedicti de Padua (2) quod nobis impetravit et tradidit | domnus Franciscus de Padua devotissimus ordinis nostri, ca | nonicus Paduanus, et tunc cubicularius pape Eugenii quarti; | ita tamen quod reservavit, durante eius vita, alias cedente ducatos | centum quinquaginta auri. Et ipse predictus domnus Franciscus fecit | donationem illi Monasterio, de multis libris, reservato sibi usufruc | tu in vita; et alia iocalia sacristie in presentarium donavit, et | fuit idem domnus Franciscus devotissimus ordinis nostri; et multum | favit nobis apud papam Eugenium, in hiis que per ordinem | nostrum postulabantur. Anno autem Domini 1446 cum predictus domnus | Franciscus electus esset episcopus Ferrariensis, liberavit ordinem a pen | sione, quam ei annuatim solvebatur (*a*).

Fol. 16.

XXXIV.

XXXIV. Franciscus Aringherius Bononiensis (1443-1447).

Trigesimus quartus abbas fuit frater Franciscus de la Lengeria de Bononia, | et duravit annis quatuor (3). Huius

---

(*a*) Text. B: *addit: predictus domnus Franciscus obiit Rome et sepultus est in monasterio nostro Sancte Marie Nove.*

(1) A tertia dominica post Pascha (die 26 aprilis) an. 1439 ad tertiam dominicam post Pascha (die 12 maii) an. 1443.

(2) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 210; FAMILIAR. TAB., II, an. 1443, p. 194. Hoc Monasterium Patavinum sub titulo S. Benedicti *Novelli* vocitatur.

(3) Abbas Franciscus de Arengheria duravit in officio a dominica III post Pascha (die 12 maii) an. 1443 ad dominicam III post Pascha (31 april.) an. 1447.

tempore habitum est monasterium Sancte Ma | rie in Organis de Verona, idest anno domini 1444 (1). Quod tradidit | Reverendus in Christo pater domnus Antonius Chorerius de Venetiis, Cardinalis | Bononie, ex magna devotione quam ad ordinem habebat. Huius tempore | habita est abbatia Sicille castri Petrolgii, vel apud ipsum castrum, | et hoc pro subsidio monasterii Sancti Benedicti de Senis, idest anno domini 1445 (2). Hic fecit deponere palios nigros et indui albos, sicut | faciunt alia monasteria. Nam prius in principali monasterio fratres portabant palios | nigros. Anno tertio sui officii in capitulo generali correcte et reordina | te fuerunt constitutiones, per dictum capitulum generale et secretum scrup | tinium. Huius tempore facta est pars dormitorii, que respicit super | claustrum magnum, versus reffectorium, ubi sunt septem celle. Hic fecit fieri pavimentum paradisi, quod est sub tribuna ma | gna et aptare altaria, ita ut misse dici possent. Nam | a multo tempore ultra derelictum fuerat propter humiditatem ma | gnam, que ibi nutriebatur. Huius tempore, idest anno 4° sui officii, 1446, | habitum est monasterium Sancti Nicholay de Rhotingo, comitatus Bri | xie, quod nobis contulit ex motu proprio papa Eugenius quartus, ex | suasione reverendi in Christo Fol. 16'.

(1) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 213. Sed familia monastica nonnisi anno 1445 huic monasterio designatur. Cf. Familiar. Tab., II, an. 1445, p. 200'.

(2) Cf. Lancellotti, *op. cit.*, II, 115. — Actorum pro unione abbatiae Sicillensis monasterio nostro S. Benedicti de Senis, adservatur exemplar, per notarium Monaldum quondam Pauli de Cinigiano, authenticum, in *Archiv. Oliv.* (sign. B, 65).

Plura de hac Sicillarum abbatia, modo pene diruta, habentur in quodam libro mss., cui titulus hic est: *Indice generale di tutte le scritture in cartapecora ed in carta ordinaria, di tutti i ricordi e memorie, con il ristretto e compendio di esse spettanti od esistenti nel monastero di S. Benedetto, fuori e vicino alla Porta Tufi, della città di Siena, della Congregazione di Mont' Oliveto... fatto l'anno 1734.*

patris domni Petri de Monte, episcopi Brixiensis; | qui erat germanus cuiusdam fratris nostri de Venetiis, nomini | Sygismundi. Quod monasterium habitum est cum magno | labore, quia ille qui privatus fuerat de eo, multum obsti | tit, cum brachio seculari, et cum quibusdam cardinalibus. | Set favebat ordini nostro papa Eugenius, qui nobis illud dederat (1).

XXXV.

XXXV. Nicolaus Regiensis (1447-1451).

Trigesimus quintus abbas fuit frater Nicolaus de Regio | et duravit annis quatuor (2). Hic fecit fieri chorum in ecclе | sia monasterii principalis (3). Huius tempore fuit annus iubilei, idest. | 4° anno sui abbatiatus; cuius indulgentiam clementissimus domnus | Nicolaus quintus papa benigne toto ordini nostro conces | sit, hac videlicet conditione: ut presbiteri per quindecim | dies missam, quamcumque vellent, celebràrent; ac etiam infra pre | dictum terminum ter psalterium dicerent. Clerici autem septies, psal | terium, infra etiam quindecim dies, dicerent: conversi vero | et commisi, infra supradictum terminum, dicerent milies | octingenties *pater noster* et *avemaria.* Sane unusquisque poterat | dictam penitentiam incipere quando sibi placuisset; si tamen ante ter | minum iubilei, qui est nativitas domini completam, habuia | set, concesso ei ut diximus termino, quindecim dierum, | ad hoc faciendum. Concessit etiam ut quilibet frater posset sibi el | igere quemcumque

---

(1) Cf. LANCELLOTTI, *op. cit.*, II, 236; L. F. FÈ D'OSTIANI, *Il Comune e l'Abazia di Rodengo*, Brescia, 1886, p. 64 seqq. — Huic monasterio familia adsignabatur anno 1447. Cf. FAMILIARUM TAB., II, p. 207.

(2) A die ultima mensis aprilis, quae fuit dominica III post Pascha anni 1447, ad diem 16 mensis maii (dom. III post Pascha) an. 1451. Cf. TONDI, *I fasti olivetani*, p. 43-46.

(3) Cf. THOMAS, *op. cit.*, p. 125.

vellet confessorem, et ab ipso absolvi ab omni | casu, etiam ab illis, qui ad personam Summi Pontificis reservantur, si tamen indigeret (1).

Liber de principio et origine magni, nec non | devoti ordinis, arcteque (a) regule Montis Oliveti per | venerabilem eruditumque virum Antonium Bargem | sem, dignissimumque Sancti Miniatis ad montem, abbatem | editus, feliciter explicit.

(a) Text. B : *Recteque.*

(1) Cf. Prof. VIRGINIO PRINZIVALLI, *Gli Anni Santi, appunti storici con molte note inedite tratte dagli Archivi di Roma*, Roma, F. Kleinbung, 1899, p. 34.

APPENDIX



APPENDIX

I.

Arretii 1319, martii 26.

Guido de Petramala, episcopus Arretinus, aedificationem Monasterii, et Congregationem Sanctae Mariae de Monte Oliveto in Acona, adprobat (1).

[Orig. in REGISTRO OLIV. I, 6; exemplar in LIB. PRIVILEGIORUM (saec. XV), f. 1-2'; cf. LANCELLOTTI, *Histor. Oliv.*, I, 11-13; THOMAS, *L'Abbaye de M. O. M.*, 1898, p. 205; MARÉCHAUX, *Vie du B. Bernard T.*, 1888, p. 119].

Guido miseratione divina episcopus Aretinus, nobilibus et discretis viris, Bernardo quondam domni Mini de Tolomeis, et Patritio quondam Francisci de Patritiis de Senis, dilectis nobis, salutem in domino sempiternam. Potentia Dei ex alto progre | diens, eorum corda illustrat, quos eligit, et mentes eorum, gratia superna inducens ad opera caritatis, extollit eas cotidie in virtutes; et ut possint electi quietius in illius contemplatione persistere, qui elegit, Deo

(1) Hic denuo Guidonis privilegium inserendum duximus, ut semper prae manibus illud habere quisque posset. Singula enim huius privilegii verba sedulo perpendenda sunt, quippe quae, bene intellecta, magnam rebus nostris lucem tribuunt. Immo, juxta verba huius Guidonis privilegii, puto rem solvendam, quae superius (cf. p. 12, n. 1) iam pertractata est.

se dedicant, et sua exponunt et exhibent servitio Jesu Christi; | ut in illis sic expositis et collatis hedificentur ecclesie, divina celebrentur misteria, et ipsum corpus Christi pro redemptione humani generis traditum passioni, orationibus institutis in altari per sacerdotes catholicos ymoletur. Sane percepimus, Bernarde ac Patritii, di | lecti nostri, quod in operibus caritatis sic hactenus insudastis, sic in penitentie proposito laudabiliter perstitistis, quod divina gratia inflammati, poderia vestra de Acona et Melanino, in presentia nostra et capituli ecclesie cathedralis Aretine, Deo contulistis et Virgini gloriose, ad cuius | reverentiam monasterium in Acona construatur sub regula beati Benedicti et observantia monachali, et divina in illo celebrentur misteria, ad laudem ipsorum, animarum vestrarum et christianorum salutem fidelium ac profectum. Postulantes humiliter ut aliquibus discretis viris super | dedicatione personarum vestrarum et socii, quam hodie Deo et beate Marie matri eius, sub prescripta regula disposuistis facere in monasterio supradicto, et super benedicendis vestibus albis, quas gestare intenditis, et super induendis ipsis iuxta morem solitum monachorum, necnon | super videndo in Acona, et ordinando locum, ibidem construendo monasterio magis aptum, et super infigendo in illo crucem, benedictionem sive orationem proferendo, ac per nos benedicendum lapidem primarium imponendo, vices nostras committere deberemus. Insuper exemp | tiones ipsius monasterii, et alia in petitione vestra contenta, per privilegium nostrum, de assensu Capituli nostri, concedere dignaremur. Nos autem considerantes vestre merita probitatis, et quod ex transactis operibus digne laudis insignia reportatis, considerantes etiam, quod ex dedicatione | vestra, et erectione monasterii sepedicti, Ecclesia Dei extollitur, augebitur cultus divinus, ipseque Christus et eius mater laudabitur, multiplicabitur in cordibus et organis plurimorum, petitionem vestram ex certa scientia, duximus admitten-

dam, et contenta in petitione ipsa, de consensu pre | scripti Capituli ad hec presentis, quanto plenius valeat, approbamus et per presens privilegium concedimus et largimur. Et ut petita per vos, et in petitione contenta, cunctis fidelibus plenius patefiant, et concessio nostra et largitio petitorum omnibus clarius innotescat, man | damus ipsa presenti privilegio describenda. Committimus enim vicem et auctoritatem nostram religioso et discreto viro, domno Johanni monacho abbatiae de Sasso, nostre diocesis, nunc in cathedrali ecclesia nostra residenti, ad altare in ecclesia ipsa constructum per Cionem de | Tavine, quod dedicationem, quam vultis facere vos prescripti Bernardus, Patritius... et socius, Deo et beate Marie de Oliveto de Acona, in monasterio costruendo ibidem sub regula beati Benedicti, et habitu ac observantia monachali, recipiat vice nostra; et abbas, ve | stes, quas gestare vultis, benedicat et induat illas vobis. Item committimus vicem et auctoritatem nostram discreto viro presbitero Restauro, dudum capellano ecclesie de Morello, et nunc apud domum fraternitatis sancte Trinitatis de Aretio commoranti, quod vadat ad | podere de Acona, et locum magis aptum monasterio construendo in illo designet, crucem figat ibidem, benedicat illum cum oratione solita in hiis, et per nos benedicendum lapidem primarium, ibi ponat. Concedimus insuper auctoritate huius privilegii et largimur, | de assensu Capituli supradicti, quod in predicto loco de Acona, nostre diocesis sito, in comitatu Senarum, in parrochia Sancti Angeli [de Luco pleba]tus plebis de Saltu, diocesis supradicte, monasterium erigatur [cum] campanili, et campanis ad honorem Virginis gloriose | sub regula beati Benedicti, et observantia monachali, et vocetur monasterium Sancte Marie de Oliveto in Acona, prout extitit postulatum. Item quod locus sive monasterium ipsum per abbatem duntaxat regatur et gubernetur in perpetuum, et nunquam per laycos, seu | clericos seculares; set semper per abbates et mona-

chos permansuros ibidem, regula beati Benedicti servetur, et observantia monachalis vigeat in eodem. Item ut abbas, monac[h]i, conversi et alii familiares, qui pro tempore fuerint in monasterio ipso, liberius et quietius | valeant Domino famulari, monasterium ipsum liberum facimus et exemptum ab omni solutione decimarum, iure cathedratico, datiis, collectis, impositis, et aliis occurrentibus honeribus, et factoribus quibuscumque, ab omni lege yurisditionis et diocesani, decernentes ac | mandantes ypsos, seu monasterium ipsum in predictis, vel aliquo predictorum, nullo tempore aliqualiter molestandos. Confirmatione abbatum dicti monasterii, visitatione ac correctione ipsius et degentium in eodem, nobis dumtaxat nostrisque catholicis successoribus reservatis. | Item quod apud ipsum monasterium sit et esse possit, cimiterium, ubi et in quo sepeliantur abbates, monac[h]i, conversi et familiares omnes monasterii supradicti. Item pro amplianda ipsius monasterii libertate, quod abbas nunc eligendus, in ipso et qui fuerit ibidem pro tempore, | per se vel alium, cui commiserit vices suas, possit et liceat sibi confessiones monachorum, conversorum, et familiariorum omnium dicti monasterii, audire, et eis pro commissis imponere penitentiam salutarem, corrigere et absolvere ipsos omnes, et singulos prout visum fuerit decens esse. | Item quod abbas et monac[h]i monasterii prefati possint in ipso monasterio constitutiones facere, in hiis que spectarent ad ipsum monasterium, quas utiles et decentes providerint pro eodem. Item quod abbas qui pro tempore fuerit in monasterio supradicto possit et liceat sibi confiteri sacerdoti, cui | voluerit, et cuncta sacramenta et absolutionem percipere ab eodem, et ordines ab episcopo catholico, quem ad hoc duxerit eligendum; hoc etiam licitum sit, et possint monac[h]i, conversi et familiares, qui pro tempore fuerint in eodem, de licentia tamen abbatis monasterii supradicti. | Premissa vero concessa et largita per nos, et unumquodque ipsorum, va-

lere volumus et tenere sine iuris preiudicio alieni. Non enim per ipsa volumus, nec intendimus, preiudicium alicui generari. Addentes quod abbas, monac[h]i, conversi et familiares monasterii prefati, non possint | nec debeant parrochianos aliarum ecclesiarum recipere ad divina, vel eis ecclesiastica sacramenta conferre, sine licentia rectoris expressa illius ecclesie, de qua essent parrochiani, qui vellent audire predicam, vel ipsa recipere ab eisdem. In cuius rei testimonium, | presens privilegium scribi mandavimus per Guadagnum, camere nostre scribam, et nostri pendentis sigilli munimine insigniri. — Datum et actum in civitate Aretii, in sala episcopalis palatii, sub anno Domini a nativitate millesimo CCCXVIIII, indictione secunda, | tempore sancti patris domni Johannis pape XXII, die lune, XXVI mensis martii, presentibus Bertuldo Mascii de Petramala, domno Viviano de Dorna, domno Vico quondam domni Orlandi de Albergottis, ser Donato Mirancii priore Sancti Andree de Senis Aretine | diocesis, domno Giano quondam domni Verii de Cerchis, Naldo de Ghirardinis, Mino quondam Concialeonis de Radda, et ser Giuntino quondam Mencii, testibus ad hoc habitis et rogatis.

Ego Guadagnus quondam ser Giunte, iudex ordinarius, atque notarius Aretinus civis, et nunc prefati domni episcopi scriba publicus, prescriptis interfui, eaque, mandante dicto venerabili patre, scripsi, et in publicam formam redegi, signum apponendo proprium consuetum.

II.

Arretii 1324, martii 28.

Canonici Ecclesiae cathedralis Arretinae et canonici plebis Sanctae Mariae, unitae ipsi cathedrali, postulata Abbatis et conventus monasterii Sanctae Mariae de Monte Oliveto in Acona, benigne admittunt.

[Exemplar in LIB. PRIVILEGIORUM (saec. XV), fol. 2'-3'].

In nomine Dei eterni. Amen. Anno eiusdem a Nativitate MCCCXXIIII, indictione VII, domno Joanne papa XXII presidente, die merchurii XXVIII mensis martii, Votis pie viventium ampliande sunt gratie caritatis, ut dum ipsi consequuntur quod appetunt, ferventius in Christi laudibus accendantur.

Cum itaque pro parte religiosorum et laudabilium virorum abbatis et conventus monasterii Sancte Marie de Monte Oliveti in Acona, nostre Aretine diocesis, plura fuerint coram nobis [a] Guidone miseratione divina episcopo et domino Aretino, cum reverentia postulata; nos decenti deliberatione adhibita super his, de confratrum nostrorum infrascriptorum consilio et assensu ac voluntate ipsorum, qui hoc tempore in cathedrali ecclesia resident Aretina, et in plebe Sancte Marie de Aretio unita ipsi ecclesie cathedrali, duximus illa ex certa scientia, et vice nostra nostrorumque catholice successorum et Aretine ecclesie, ad exauditionis gratiam duximus admittenda. Et primo, vice et nomine quo supra, concedimus loco, monasterio et conventui de Monte Oliveti, predictis et fratribus eiusdem monasterii, tam presentibus quam futuris, quod ad quem maluerint prelatum diocesis Aretine, possint in posterum, quotiens fuerit oportunum, pro confirmatione abbatis, quem ipsi fratres duxerint eligendum pro tempore vel nominandum,

recurrere ipsumque petere confirmari, et confirmationem recipere ab eodem, nec non renuntiare abbatiatui, regimini ac officio abbatiatus monasterii supra dicti, prout ipsis placebit, et secundum quod providerint agendum esse. Et ut premissa liberius, comodius fieri valeant, pro monasterio supradicto et fratribus qui pro tempore ibi erunt, committimus prelatis Aretine diocesis, a quibus fuerint abbatum predicti loci petite confirmationes, seu renuntiationes, super ipsorum abbatum renuntiationibus faciendis, confirmationibus impendendis et ceteris super ipsarum confirmationum negotiis oportunis, plenarie vices nostras constituentes, ex nunc illos prelatos prescripte diocesis, ad quos accesserint conventus dicti loci, pro predictis, nostros vicarios et ordinarios ad premissa, et circa ipsa oportuna, et mandamus illis expresse sub pena, quam duxerimus infligendam, quod ad ipsorum fratrum instantiam, premissa debeant adimplere, non obstante quod huiusmodi confirmationem abbatum reservaverimus nobis, nostrisque successoribus, in privilegio, quod dictis loco et fratribus adduximus concedendum. Et quia presensimus quod abbas et conventus monasterii supradicti plerumque indigentiam patiuntur, non habentes ex facultatibus propriis unde comode valeant substentari, ne indigentia huiusmodi retrahat illos a cultura divina, ut per se et alios petere et peti facere valeant; et Abbas, monac[h]i monasterii supradicti, quotiens et quando eis videbitur decens esse, auctoritate presentium, indulgemus et elimosinas.

Insuper votis eorum satisfacere cupientes, in celebratione officiorum, quam facere posse volunt abbas et conventus monasterii antedicti, secundum ritum Romane Ecclesie, nos attendentes in regula beati Benedicti caveri, quod secundum ipsius regulam certus servetur ordo in horis et officiis celebrandis, et quod qui melius sciverit ordinare, ordinaret officium monachale: cum in Romana Ecclesia, perfecte sit ordo celebrandi officii constitutus, quod secundum ritum

et ordinem prefate Romane Ecclesie, possit deinceps in dicto monasterio de Monte Oliveti, officium celebrari, auctoritate presentium, duximus indulgendum. Quod etiam concedimus abbati et conventui predictis, in eorum membris et granciis, tam habitis quam habendis, et ubique locorum dicte diocesis, ubi eos esse contigerit vel morari. Quarte adhuc petitioni eorum duximus annuendum, videlicet, quod abbas, conventus et monasterium possint grancias ab offerentibus illas percipere, et habere, et usibus dicti monasterii applicare, et in ipsis celebrare officia et facere celebrari; quibus granciis habitis, sique sunt, et habendis in posterum, illam immunitatem et libertatem concedimus, quam hactenus concessimus monasterio supradicto, tanquam spiritualibus membris monasterii antedicti.

Propterea ut monasterium ipsum de Monte Oliveti, abbas, fratres et conventus eiusdem in libertate petita persistant, et Deo libere valeant famulari, presentium auctoritate, monemus omnes et singulos, tam clericos quam laycos civitatis et diocesis Aretine, cuiuscumque status, ordinis, seu conditionis existant, pro primo, secundo et tertio termino, peremptorie, quod monasterium ipsum, abbatem, fratres, seu conversos eiusdem, pretextu aliquarum rerum, possessionum et bonorum eidem monasterio collatorum, seu conferendorum, non audeant, vel presumant, pretextu datii, colecte, gabelle, pedagii, vel alicuius angarie, vel perangarie, molestare, vel gravare, per se vel alium, publice vel occulte, nec gravanti, molestanti, vel iniurianti consentire, seu illis impertiri auxilium, consilium, vel favorem. Nos enim in omnes et singulos tam clericos quam laycos, cuiuscumque status, ordinis, seu conditionis fuerint, qui contra premissa, vel aliquid premissorum, per se vel alios fecerint, publice vel occulte, aut contra facientibus consenserint, seu ipsis quoquo modo prestiterint auxilium, consilium, vel favorem, prescripta monitione premissa, excommunicationis sententiam proferimus in his scriptis.

In quorum testimonium prescripta, per Guadagnum, camere nostre notarium, scribi mandavimus, et insigniri nostri impressione sigilli; nomina confratrum qui interfuerunt predictis, et de quorum consilio, assensu, et voluntate, processum est ad predicta, sunt: domnus Joannes de Casolis pro se, ut canonicus, et tamquam vicarius domni Bosi de Vulterris, propositi Aretini;

Domnus Angelus de Assisio Domnus Bandinus Nerii Alerisii Domnus Donatus Mirancii	Canonici ecclesie cathedralis Aretine.
Domnus Finus domni Orlandini Domnus Rubinus de Burgo Sancti Sepulchri Domnus Gerardus Cronarini	Canonici plebis Sancte Marie de Aretio, unite ipsi cathedrali ecclesie Aretine, et in ipsa cathedrali ecclesia Aretina residentes presentialiter.

Datum et actum in civitate Aretii, in quadam saletta, iuxta episcopalem cameram, presentibus Mucio rectore ecclesie Sancti Angeli de Satorri, et Mucio quondam Patriarche, alias dicto Mucio Dadi; Frasca de Ascianelli de Asciano, et Ubertinuccio Guardi de Civitella, testibus ad hec astantibus et rogatis.

✠ Ego Guadagnus quondam Giunte, iudex ordinarius atque notarius Aretinus civis, et numero prefati domni Aretini episcopi scriba publicus, predictis omnibus et singulis presens fui, eaque, mandato dicti domni, scripsi et publicavi, rogatus signum proprium apponendo.

III.

In Burgo de Chiusuris 1342, februarii 18.

Ser Landus, rector ecclesiae Sancti Angeli a Luco de Chiusuris, aedificationi monasterii Sanctae Mariae de Monte Oliveto, consensum praebet.

[Exemplar in Lib. Privileg. (saec. XV), f. 3'].

In Dei nomine. Amen. Anno eiusdem MCCCXLII, indictione XI, die XVIII mensis februarii. Pateat omnibus evidenter quod discretus vir ser Landus quondam Maffei, presbiter et rector ecclesie Sancti Angeli a Luco de Chiusuris Aretine diocesis, coram me notario et testibus infrascriptis, sua libera et spontanea voluntate, ex certa scientia, et non per errorem aliquem, omni iure, via et modo, quibus melius potuit, sciens et recognoscens monasterium Sancte Marie de Monte Oliveto, positum in curia de Chiusuris, comitatus Senensis, loco dicto Acona, dicte Aretine diocesis, esse situm, situatum et positum in parrochia dicte eius ecclesie, dixit, asseruit et confessus fuit, tanquam parrochianus dicti loci, ubi dictum monasterium fuit et est constructum et edificatum, se tempore edificationis et constructionis dicti monasterii, esse et fuisse, et nunc et in posterum, esse tacitum et contentum de constructione et edificatione supradicti monasteri, et dicte edificationi tunc consensisse, et de sui consensu et voluntate fuisse, processisse, et factam fuisse et esse edificationem monasterii supradicti, necnon de omnibus et singulis granciis, beneficiis, indulgentiis, privilegiis, immunitionibus, et aliis quibuscumque concessionibus eidem monasterio quoquo modo hic retrofactis, vel ad presens seu in posterum fiendis, tam per summum pontificem quam etiam per venera-

biles in Christo patres domnos cardinales, legatum aut episcopum Aretinum, vel alium quemcumque concedendi auctoritatem et iurisdictionem habentem, de quibus omnibus supradictis rogavit me notarium infrascriptum quod inde publicum conficiam instrumentum.

Actum in Burgo de Chiusuris coram religiosis viris fratre Patritio Francisci, fratre Joanne Peruzii de Senis, Nerio Succii, et Joanne Ducii de Chiusuris testibus ad haec habitis, vocatis et rogatis.

✠ Ego Matheus filius Mencii civis Senensis, imperiali auctoritate notarius atque index ordinarius, predictis omnibus et singulis interfui, et ea rogatus scripsi et publicavi.

IV.

Romae 1430, maii 17.

Cardinales Antonius Casini et Nicolaus Albergati, a Summo Pontifice, Congregationis Olivetanae Reformatores electi, quasdam innovationes decernunt (1).

[Orig. in REGISTR. OLIVET., II, 25].

Antonius, tituli sancti Marcelli, et Nicolaus, tituli sancte Crucis in Jerusalem, sancte Romane Ecclesie miseratione divina presbiteri cardinales, commissarii ad | infrascripta, et alias, reformatores generales ordinis Montisoliveti, auctoritate apostolica deputati, venerabili patri... abbati monasterii Montisoliveti, ac eiusdem et aliorum monasteriorum | predicti ordinis, Romane Ecclesie immediate subiecti, prioribus, et fratribus universis, salutem et sinceram in Domino caritatem.

Omnis vera religio, et regularis vitę institutio ap[probata, certis] | constare debet regulis, et mensuris, ac legibus, ex quibus persone, in ea degentes, et spiritualis castimonie sanctimoniam, ac recte vivendi conversationem, et modum assumant, ne, | quod absit, per proprie voluptatis abusum, a via rectitudinis, in devium oberrantes, in precipitium cadant; sed sciat unaqueque ipsarum, quid agere, quidne etiam debeat de | vitare. Nuper siquidem ad auditum sanctissimi in Christo patris et domni nostri Martini

(1) Hac in appendice, Reformationes, anno 1430, invectas, referre placuit, ut specimen quoddam harum innovationum exhiberetur. Attamen monendum est quod anno 1432 (31 martii, REGISTR. OLIVET., II, 22), iterumque anno 1438 (1 maii, REGISTR. OLIVET., II, 24), per eosdem Reformatores aliae editae sunt constitutiones.

divina providentia pape quinti, deducto, quod, procurante antiquo humani generis inimico, videlicet, | ordo predictus, circha diversa, que agenda incumbunt, a rectitudine prisci rigoris et patrum antiquorum traditionibus, ac eorundem salubribus observantiis, deviaverat, | que nisi celerem reciperent medicinam, posset prefatus ordo, quod absit, ad irreparabile dispendium pervenire, ac pro parte vestra, venerabilis pater abbas, et nonnullorum | seniorum dicti ordinis fratrum, eidem domno nostro humiliter supplicato, ut vobis et eidem ordini super hiis oportune providere de benignitate apostolica dignaretur. Idem domnus noster | papa, vive vocis oraculo, nobis cardinalibus supradictis, quoad vitam duxerimus in humanis, ministerium reformationis predicti ordinis, cum plena potestate, que ad | reformatores, visitatores, et correctores eiusdem ordinis, ac locorum et personarum ipsius, tam in capite, quam in membris, pro tempore potest, seu debet quomodolibet pertinere. | Commisit ac mandavit ut circha ea, que ad presens, et in futurum, idem ordo vester in spiritualibus, et temporalibus, et tam in capite, quam in membris, huiusmodi reformationis, | aut correctionis officio, pro tempore indigeret, statuere, et ordinare ac reformare, et corrigere curaremus. Nos igitur cardinales prefati, volentes commissi | onem et mandatum huiusmodi reverenter exequi, ut tenemur, vos venerabilem patrem abbatem ac nonnullos viros religiosos predicti ordinis, vite laudabilis providentia | et discretione vigentes, ad nos advocavimus, ac tam per vestram, ac dictorum religiosorum informationem, quam etiam alias, de hiis in quibus ordo prefatus ad presens correcti | one, ac reformatione indigere noscebatur, plenius informati, nonnulla statuta ed ordinationes, per vos et successores vestros inconcusse perpetuis futuris temporibus | observanda, edidimus, et die data et loco infrascriptis, publicavimus, quorum tenores, formas continent, que sequuntur.

Statuimus et ordinamus, pro reformatione | ordinis Mon-

tisoliveti, quod abbati generali eiusdem ordinis vel eius vicario generali, qui consuevit esse prior principalis monasterii, ordinis prelibati, pro tempore existentibus, | associentur sex ydonei fratres prefati ordinis, qui visitatores nuncupentur, et valeant personaliter visitare, et sint priores domorum seu monasteriorum, in quibus ad plus | stent conventualiter octo fratres, quos pro ista vice tantum eligimus, et nominamus, ac deputamus, et in visitatores et socios dicti abbati preficimus, quorum nomina | sunt hec, videlicet, frater Jeronimus de Perusio, frater Nicolaus de Regio, frater Bartholomeus de Mantua, frater Petrus de Neapoli, frater Baptista de Podiobonixi, | et frater Benedictus de Yspania. De quorum consilio et consensu, vel maioris partis eorum, ac voluntate expressa, teneatur dictus abbas et debeat ordinare, facere, sive | disponere, absolvere, instituere, sive permutare, tam in totum, quam in parte, annis singulis, in capitulo generali, aut quandocumque necessarium fuerit, omnes et singulos priores, pre | latosque et alios officiales et familias omnium, et singulorum, ac quorumcumque conventuum, et monasteriorum ordinis predicti, eorumque visitationes facere, et distribuere quotiens, | et quandocumque eis necessarium fore videbitur, tam in totum quam in partem, conventuum et personarum omnium et singulorum ac omnia et singula statum ordinis quomodolibet concer | nentia, tam in totum quam in partem, et ea que proponerentur in capitulo generali, aut alias quomodocumque evenerint, simili modo et forma tractare, et determinare, ac debite | executioni mandare.

Item, nec valeat absque consensu maioris partis predictorum sex, super constitutionibus ordinis prefati, nec super penis et penitentiis publicorum delictorum, | ac irregularitatibus et inhabilitatibus aliis, cum delinquentibus dispensare. Insuper, nec bona prefati ordinis, aut pecunias distribuere, nec alias preterquam ad bursam | communem, seu aedem sacram clandestine congregare. Sed in hiis

omnibus, eam tantum facultatem habeat, quam quilibet alius prior habet in monasterio singulari.

Quorum quidem visitatorum sic electorum tempus regiminis duret, hoc modo, videlicet, quod in fine anni a die conclusionis generalis capituli computandi, tribus ex ipsis ab offi | cio visitationis huiusmodi absolutis, per abbatem et predictos sex visitatores, vel maiorem partem eorum, tres alii subrogentur, et sic annis singulis, tres ex eis qui plus | officio visitationis prefuerint, amoveantur, et tres de novo subrogentur eisdem, nec valeant confirmari, sed per biennium continuum vacent ab officio visitationis, | antequam de novo eligi possint, ad dictum visitationis officium.

Item statuimus ut fratribus stabilitatis forma prestetur et evagationis tollatur occasio. Quod pro edificatione | et bono exemplo dictorum fratrum, prefatus abbas generalis continue maneat in monasterio Montisoliveti, nec terminos prefati monasterii ullo modo transgrediatur, | quos decernimus esse octo miliaria. Volumus tamen quod pro manifesta utilitate, vel necessitate ordinis, possit de consensu et voluntate dictorum visitatorum, vel maioris partis | eorum exire associatus semper a duobus ex eis, et visitare ac illa facere, que concernunt manifestam ordinis utilitatem, de eorum consilio et consensu.

Similiter statuimus | et ordinamus quod abbas generalis dicti ordinis duret, et vacet secundum formam constitutionum ordinis eiusdem. Volumus tamen pro forma humilitatis servanda, ad exemplum | subditorum, quod dictus abbas, tam qui nunc est, quam qui pro tempore fuerit, post biennium a die sue electionis computandum, in generali capitulo misericordiam postulet, idest abso | lutionem ab officio abbatiatus. Et tunc per dictum capitulum eligantur tres priores ex gravioribus et honestioribus, qui singulis bienniis mutentur. Qui quidem sic electi, | examinatis examinandis circha regimen dicti abbatiatus, possint ex legitima et urgenti causa, pro bono ordinis ei facere mise-

ricordiam, si viderint expedire, infra | terminum trium dierum, a die quo misericordiam postulaverit computandorum, de consilio et consensu dictorum sex visitatorum, vel maioris partis eorum. Interim tamen dictus abbas | teneat locum suum et eidem prestetur per omnia reverentia sicut ante. Idem de predictis visitatoribus statuentes circha misericordiam huiusmodi fiendam, de consensu | tam abbatis, et maioris partis visitatorum eorundem.

Statuimus insuper ut hec omnia sic statuta per nos et ordinata, que tenore presentium publicamus pure, simpliciter | et inviolabiliter observentur. Si quis autem post binam monitionem vel trinam ei per abbatem ipsum, vel maiorem partem dictorum visitatorum factam, prefatis statutis | et ordinationibus contumaciter contradixerit, vel ea observare neglexerit, sit ipso facto privatus omni officio obedientia ordinis, et voce in capitulo, et inhabilis ad omnia | dicti ordinis officia, et ministeria reddatur, donec per duo capitula generalia fuerit, de consensu maioris partis, ad predicta restitutus. Et insuper ultra penas prefatas, | quicquid per abbatem nunc et pro tempore existentem, contra statuta et ordinationes nostras huiusmodi factum fuerit, sit irritum, et inane ac nullius roboris | vel momenti : constitutionibus, confirmationibus, privilegiis, statutisque, et consuetudinibus dicti ordinis in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque.

In quorum omnium et singulorum fidem et testimonium premissorum, has nostras patentes litteras, in formam publicam redigi per Gregorium Jacobi de Pisis, et Christoforum de Rogeriis | de Roma, publicos notarios infrascriptos et secretarios nostros, nostrique cardinalatus sigilli iussimus appensione muniri.

Datum et actum Rome, in palatio sanctorum Apostolorum | et cappella sanctissimi domni nostri pape, presentibus venerabilibus et discretis viris, domno Matheo Petri de civitate Tullensi, clerico cerimoniarum domni nostri

pape, | domno Johanne Petrutii, canonico sanctorum Stefani et Bonifatii de Viterbio et d. Johanne de Batuto, clerico Rutenensi, in legibus bacchalario, testibus ad premissa vocatis | specialiter et rogatis.

Anno nativitatis domini nostri Jesu Christi millesimo quadringentesimo trigesimo, indictione octava, mensis maii die decimoseptimo, | pontificatus sanctissimi in Christo patris et domni nostri domni Martini divina providentia pape quinti, anno tertiodecimo.

✠ Et ego Gregorius quondam Jacobi ser Nerii Spetialini, clericus pisanus publicus imperiali auctoritate iudex ordinarius, atque notarius et secretarius Reverendissimi | in Christo patris et domni Antonii, miseratione divina tituli sancti Marcelli sancte Romane Eclesie presbiteri cardinalis, commissarii prefati, premissis omnibus et singulis | dum sic ut premittitur, agerentur et fierent, una cum venerabili viro domno Christoforo de Roggeriis de Roma, reverendissimi in Christo patris et domni domni Nicolai miseratione | divina, tituli sancte Crucis, sancte Romane Eclesie presbiteri cardinalis, commissarii antefati, secretario ac prenominatis testibus, interfui, eaque sic fieri, vidi et | audivi: ideo hoc presens publicum instrumentum exinde confeci, et per dictum domnum Christoforum fideliter scriptum, de mandato reverendissimorum in Christo patrum et | domnorum cardinalium commissariorum prefatorum subscripsi, publicavi, et in hanc publicam formam redegi, signoque et nomine, meis solitis et consuetis cum reverendissimorum | domnorum cardinalium commissariorum prenominatorum sigillorum appensione signavi, rogatus et requisitus in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum.

✠ Et ego Christoforus quondam Jacobi de Rogeriis de Roma publicus apostolica et imperiali auctoritatibus notarius, ac reverendissimi domni cardinalis sancte Crucis et | commissarii prefati secretarius, predictis omnibus et singulis dum sic ut premittitur agerentur et fierent, presens

fui et rogatus una cum suprascripto nobili | viro Gregorio quondam Jacobi ser Nerii Spetialini de' Pisis, publico imperiali auctoritate iudice ordinario ac notario, et prefati reverendissimi domni | cardinalis sancti Marcelli et commissarii secretario, ac testibus supradictis interfui, eaque fieri sic vidi et audivi: ideo hoc presens publicum instrumentum | exinde confeci, scripsi, publicavi atque subscripsi, et de mandato prefatorum reverendissimorum domnorum cardinalium commissariorum in hanc publicam | formam redegi, signoque et nomine meis solitis et consuetis, cum reverendissimorum domnorum cardinalium commissariorum sigillorum appensione signavi, | in fidem et testimonium omnium et singulorum premissorum rogatus et requisitus.

IMPRIMATUR
D. Hildebrandus M. Polliuti
Abbas Generalis Congregationis Olivetanae O. S. B.
Et Ordinarius Montis Oliveti Majoris
Nullius Diœceseos

NIHIL OBSTAT
Can. M. Novelli
Vicarius Generalis Archidiœc. Florent.

INDEX RERUM

ALPHABETICUS, ANALYTICUS

Abbas Generalis. — Eligitur singulis annis, 25, 29, 30.
De biennio in biennium, 26, 53, 79, 80.
De triennio in triennium, 35, 36.
Perdurat in officio per quadriennium, 26, 55, 56, 58, 60.
Eius auctoritas, xxx, xxxi, 20, 23, 27.
Una cum Visitatoribus agere debet, xxx, 22, 23, 24, 26.
Absoluto tempore officii sui debet postulare misericordiam, 54, 55, 79, 80.
Continue maneat in monasterio Montis Oliveti Maioris, 79.
Abbates Generales. — Ambrosius Piccolomineus Senensis, 12, 30.
Andreas Bononiensis, 52.
Bernardus (B.) Ptolomaeus Senensis, 12, 31.
Duccius Bartholini Arretinus, 41, 45.
Franciscbus de Aringheria Bononiensis, 58.
Franciscus Guidutii de Tracozzano Arret., 33.
Hieronymus Miraballius a Neapoli, 48, 49, 55.
Hieronymus Sancti Perusinus, 51.
Hippolitus Mediolanensis, 42, 44.
Jacobus Taddei de Arretio, 39.
Johannes Baptista de Podiobonizo, 58.
Johannes Urbevetanus, 46, 50, 53.
Laurentinus Marsupinus de Arretio, 48, 56.
Laurentius Cioni Arretinus, 35.
Matthaeus Landini a Prato, 38, 44.
Michael Pratensis, 38.
Nicolaus Regiensis, 60.
Patritius de Patritiis Senensis, 12, 29.
Raynerius Simoni de Senis, 34, 35, 37.

Abbates Generales. — Salvius Doni de Florentia, 36, 38, 39.
Symon Thurius Senensis, 30.

Abbatia de Saxo. — A Camaldulensibus habitata de quibus Johannes monachus ab episcopo delegatus, patrum nostrorum dedicationem, in civitate Arretina, accepit, 11, 12, 14, 15, 67.

Absolvere. — A quibus casibus potest solummodo abbas, 22, 23.

Accialoli Angelus. — Ep. Florent. v. **Angelus Accialoli.**

Accona. — Possessio B. Bernardi in communem Congregationis usum traditur, 6, 31, 67, 70, 74, 75.
Eius descriptio, 15.

Aeneas Sylvius Piccolomineus (Pius II). — Montem Olivetum Maiorem praesentia sua et cardinalium decorat, XIV.
Multis privilegiis eundem cœnobium ditat, XVI.
Eius *Commentarii* citantur, XVII.
Eiusque *Parallela Alfonsina*, XL.

Agatha (S.) de Terra Asciani. — Vivianus Senensis ejusdem plebanus memoratur, 14.

Agnano (de). — Pisanum monasterium S. Hieronymi nostris traditum, 36.

Agnelli (Johannes). — De nostro monasterio Villanovano scripsit, 53, n.

Agnes (S.). — In eius festo, anno 1344, per Summum Pontificem, Congregatio nostra adprobatur, 22.
Qui dies apud nostros celeberrimus habetur, 22.

Alamania (de) Georgius. — Monachus conventualis in monasterio Hungarico, XXXIV.

